



BREVIS

IN

NOVUM TESTAMENTUM COMMENTARIUS

CUM

SELECTIS PRAESTANTISSIMORUM THEOLOGORUM SENTENTIIS.

PARTICULA I.

CONTINENS MATTHAEUM

AUCTORE

M. FRIEDERICO AUG. ADOLPHO NAEBE

DIAC. APUD REGIOLAPIDENSES



LIPSIAE

SUMTIBUS BIBLIOPOLAE SCHUMANNI.

1837.

IMPRESSIT C. P. MELZER.

PROOEMIUM.

Quum ex ipsa huius libelli indole inscriptioneque satis patere videatur, quid nobis voluerimus: abstineamus verborum ambagibus.

Gratias agimus duumviris doctissimis, venerabili *Muffio*, qui vel senex juvenili flagrat literarum studio, et amicissimo *Weicherto* pro venia, qua bibliothecis eorum uti licuit.

Denique aequos nobis optamus judices.

AUCTOR.

I. PROLEGOMENA.

De origine Evangeliorum.

A. Alii, ut Eckermannus, Herderus, Paulus, Kaiserus, Gieselerus, Sartorius, commentarios nostros evangelicos ex primitivo quodam evangelio ore propagato tanquam fonte communi derivant.

Cf. *Eckermannus, Theol. Beitr.* vol. 5. fasc. 2. Alton. 1796.

Ejusdem Erklärung aller dunkeln Stellen. vol. 1. prooem. Kil. 1806.

Herderus, Regel der Zusammenstimmung unserer Evangelien aus ihrer Entstehung und Ordnung. part. 12. ejus scriptorum. (qui apostolos de iis quae tradenda erant leges quasdam sancivisse statuit.)

Kaiserus, Bibl. Theologie. vol. 1. p. 224. Erlang. 1813.

Paulus, Allgem. Litt. Z. 1813. Nro. 105 et 106.

Ejusd. Conservatorium 1. p. 123 sqq. (qui inter solos evangelistas (non inter omnes apostolos,) de formula quadam docendorum convenisse credit.)

Gieselerus, Historisch-kritischer Versuch über die Entstehung und die frühesten Schicksale der schriftl. Evangelien. Lips. 1818.

Sartorius, Drei Abhandlungen über wichtige Gegenstände der exeget. u. system. Theologie. Gott. 1820. p. 11. sqq. (qui quaecunque Apostoli de doctrina christiana junctis viribus tradiderunt (παραδεδομένα Luc. 1, 2.) ac viva voce docuerunt, ab Evangelistis nostris memoriter literis mandata esse censet, in usum vocatis literarum monumentis, quae Antiochiae, prima sacrorum Christianorum sede, facta fuerant.)

E Gieseleri sententia, qui omnium accuratissime rem exposuit, omnia ad haec redire videntur.

Literis Romanorum et Graecorum longe lateque efflorescentibus, apud Judaeos jam sex ante Christum secula deflorere coeperant, ita ut sub Esra et Nehemia pauci, sub Antiocho Epiphane autem fere nemo res gestas literis mandaret. Josepho et Philone exceptis, in scriptis majorum et traditione ore propagata acquiescebant ac vel intelligentiores a scribendo abhorrebant. Apostoli, homines de plebe, praeter Matthaeum ac Paulum haud magna dexteritate scribendi valuisse videntur. Ipsi disertis verbis profitentur, se non literis, sed viva voce evangelium tradere (esse se διακόνους καινῆς διαθήκης, οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος). Facile etiam novis scriptis supersedere poterant; nam jam

habebant scripta V. T., quae de natalibus, dignitate, factis, miraculis, morte Christi etc. agerent. Ad haec iterum iterumque provocabant in sacris christianis propagandis. Idem patet ex ipsis Apostolorum scriptis (λόγος, κήρυγμα, λόγος ἀκοῆς, κηρύσσειν, λαλεῖν, παραδιδόναι τὸ εὐαγγ., εὐαγγελίζεσθαι — opp. ἀκούειν, ἀκροᾶσθαι, δέχεσθαι, παραλαμβάνειν) v. c. Rom. 10, 14. 17. et Paulus duplicem rerum christianarum fontem distinguit, alterum primarium διὰ λόγου, alterum secundarium δι' ἐπιστολῆς, quo doctrina jam percepta in animis hominum magis confirmaretur. In epistolis ad Titum et Timotheum, ubi necessario fieri debuisset, ne verbum quidem legitur de libris N. T. conscriptis, s. de formula docendorum literis consignata, qua doctores christiani uterentur. Commemorantur quidem ἱερὰ γράμματα (ἃ ἔμαθε καὶ ἐπιστώθη ὁ Τιμόθεος (2 Tim. 2, 1. 2.) — ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ διὰ πολλῶν μαρτύρων, ταῦτα παράθου πιστοῖς ἀνθρώποις, οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται καὶ ἑτέρους διδάξαι), verum intelligenda sunt V. T. scripta nec nisi de λόγοις ὑγιαινοῦσι, minime de γράμμασιν ὑγιαινοῦσι sermo est.

Statuendum est igitur sacra christiana statim ab initio non nisi ore esse propagata, primum quidem aramaice in Palaestina, postea autem graece in exteris terris inter Judaeos et Gentiles. Probandum erat, Jesum esse Messiam. Jam deligenda erant ac proponenda gravissima doctrinae vitaeque Christi momenta, quae fidem facerent hominibus. Factum est id etiam ab Apostolis, qui Hierosolymis, deinde extra urbem et Palaestinam nunc de rebus christianis inter se colloquendo, nunc praecipua vitae sermonumque Salvatoris capita aliis exponendo eademque eodem ordine, eadem dicendi ratione etc. repetendo omnia ad formam quandam revocarunt. Quod eo facilius fieri poterat, quoniam Apostoli fere omnes iisdem mentis animique facultatibus erant praediti, homines indocti ac simplices, qui etiam in scribendo simplicitate quadam uterentur; porro eodem loco collocati, eodem rerum divinarum ac christianarum fervore ducti, eadem linguae aramaicae, quam solam callebant, paupertate laborantes. Huc accessit summa Apostolorum erga Christum reverentia, sacrorum christianorum dignitas et gravitas, occasio ac necessitas easdem res in hominibus instituendis saepenumero repetendi etc. Hinc typus quidam (ὑποτύπωσις λόγων ὑγιαινόντων) exstitit, qui apud omnes fere idem erat. Deinde tunc temporis, quo paucissimi scribere solebant, homines multum memoria valebant. Sic v. c. ab Irenaeo memoriae proditum est, Polycarpum; ab Augustino, Antonium, monachum illum Aegyptium; a Gregorio M., Servulum quendam Romae, quamquam usu oculorum destitutus erat, sacra christiana memoriter tenuisse; per Basilium M. liturgias ac symbolum apostolicum (μάθημα) ore i. e. memoriter fuisse ad posteros propagata. Probatur etiam exemplo Pauli a nullo Apostolorum rem christianam edocti. Huc denique pertinent Veterum testimonia:

1) **Irenaeus** (adv. haeres. 3, 4.), sagacissimus haeresium investigator ac debellator, contendit, etiamsi nulla Apostolorum adessent scripta, nihilominus orthodoxiam traditione ore facta tanquam firmissimo suo niti fundamento.

2) **Fama** est antiquissima apud Eusebium (h. e. 6, 14. ὅπερ ἐπιγνόντα τὸν Πέτρον προτρεπτικῶς μήτε κωλῦσαι μήτε προτρέψασθαι — τὸν Μάρκον), Marcum a Petro ad scribendum neque impulsum esse neque prohibitum, quamquam veritati divinae postea calculum suum addidit.

3) **Patres apostolici**, ut **Ignatius**, **Barnabas**, **Clemens Romanus** al. plerumque ad loca V. T. (ἡ γραφή, ὁ προφήτης, ὁ κύριος λέγει, ἐν τῷ προφήτῃ γέγραπται, Μωϋσῆς, Δαυῒδ λέγει etc.), haud raro ad traditionem ore factam (παράδοσιν ἄγραφον), minime vero ad traditionem scriptam (παράδοσιν ἔγγραφον) provocant, ita, ut voces τὸ εὐαγγέλιον et τὸ ἀποστολικόν s. ὁ ἀπόστολος, quas haud semel usurpant, potius de traditione, quam de scriptis apostolicis intelligendae esse videantur.

4) **Papias**, episcopus Hierapoli, plus tribuit traditioni ore propagatae quam iis quae literis relata legebantur, et **Polycarpus** nullis scriptis usus est, teste Irenaeo.

5) Ne in haereticis quidem impugnandis ad scripta apostolica, sed ad viros doctos, rei christianae praecones, ut fidei patronos statoresque provocatur. Igitur aut evangelia nostra nondum aderant aut nondum publice recepta nec nisi a privatis usurpata hominibus. Ad V. T. libros provocant etiam Theophilus, Tatianus, Athenagoras, Justinus M.

6) Scripta apostolica seriore demum tempore commemorantur. **Papias** primus evangelium Marci ac Matthaei commemorat: **Polycarpus**, episcopus Smyrnensis († 167): **Tryphon** et **Celsus**, adversarii rei christianae, qui intra annos 130—150 vixerunt: **Hegesippus**, qui a. 160—170 Romae fuit, evangelio καθ' Ἑβραίους usus est, nemine prohibente: **Dionysius**, episcopus Corinthi, satellites Satanae i. e. haereticos non modo suas ipsius epistolas, verum etiam evangelia corrumpere luget: **Claudius Apollinaris**, a. 170 Hierapoli in Phrygia episcopus, evangelium Matthaei ac reliquorum magna ibi auctoritate fuisse testatur: **Theophilus Antiochenus** (a. 170—180), certe initium evangelii Johannei, et reliqua evangelia novit: **Clemens Alexandrinus** (a. 193) praeter evangelia nostra canonica admittit nulla: **Tertullianus**, presbyter Carthagine sec. 3 ineunte, 4 evangelia nostra ab ecclesiis per Apostolos conditis publica auctoritate munita esse tradit: **Cerdon**, **Marcion**, **Montanistae** ac **Valentiniani** evangelia in usum suum converterunt et **Heracleon**, **Valentinianus**, vel commentarium in evangelium Lucae et Johannis composuit.

Quae quum ita sint, videntur Christiani orthodoxi, partim ut scripta et opiniones plurimorum haereticorum et Gnosticorum, ut Cerinthi, Basilidis, Carpocratis, Marcionis etc. refutarent, partim ut viris doctis, qui ad castra christiana transirent, viam munirent; partim ut odium Romanorum, qui Judaeos saepe tumultuantes cum Christianis miscebant, effugerent; partim ut, sejuncti a Nonchristianis arctiorem inirent societatem atque haberent, unde veram fidem cognoscerent, quatuor nostra evangelia recepisse et publica ornasse auctoritate. Quod factum esse videtur sub medium seculum secundum, quamquam jam multo ante exstabant evangelia.

At vero in hoc egregio Gieseleri libello vera cum falsis miro modo mixta sunt. Nam quae de Judaeis a scribendo abhorrentibus dicit, huic opinioni libri Maccabaeorum, Hecataeus Abderita, multa Judaeorum, quae Josephus commemorat, scripta aliaque repugnant: quae de singulari qua veteres valuerint memoria disserit, in paucissimos cadit: quae de patribus apostolicis, qui nostrorum evangeliorum nullam fecerint mentionem, refert, de vocibus *γράμματος* et *πνεύματος*, de rhapsodis Homeri cum Christi praeconibus comparandis, de convenientia rerum ac verborum in nonnullis Pauli epistolis (ad Coloss. et Ephes.) etc. haud probabiliter perhibet. Porro idque potissimum quaeritur, cur Paulus, qui in Asia magno cum successu docuerat, suum esse duxerit, doctrinam suam cum Apostolis communicare, ne frustra laborem suscepisse videretur (Gal. 2, 1. 2.)? Etiam non liquet, unde Marcus et Lucas, comites Petri et Pauli (qui nullo se Apostolo doctore usum esse profitetur), ea hauserint quae sive res sive dicendi rationem spectas, cum Matthaeo iis communia sunt. Tum fac, ut in rebus historicis, de natalibus Christi, origine e stirpe Davidica, ingenio, moribus, miraculis, vaticiniis, morte, resurrectione, dignitate Messiana e V. T. potissimum probanda idem statuerint, unde in doctrina tantus et rerum et verborum consensus? Nisi eundem et rerum et verborum auctorem admittis, non patet, quomodo traditio eodem rerum ambitu, eadem sententiarum serie, eadem dicendi ratione nasci potuerit. Necesse esset opinari undecim Apostolos, ut nulla in re a se invicem recederent, pactum quoddam iniisse; easdem res eandemque rerum formam diligenter didicisse, verbotenus evangelium recitasse idemque et suis suasisse discipulis. Verum id et Apostolis, quorum suo quisque marte in docendo atque narrando versatus est, indignum est et luculentissimis historiae et N. T. testimoniis repugnat. Deinde si de rebus gravissimis inter Apostolos convenerat, quomodo in ejusmodi rebus, ut de resurrectione Christi ab inferis, dissentiunt? Praeterea tantus erat rerum ambitus, ut nemo facile eas memoriae mandare potuerit, alio verba praeeunte, certe multo facilius scripto quodam adhibito. — Non negamus traditionem ore factam primis rei christianae temporibus invaluisse et apud Apostolos et apud Sal-

vatoris aequales, qua paulatim deficiente necesse erat, ut sacra christiana literis consignarentur.

B. Alii, ut originem necessitudinemque trium priorum evangeliorum illustrarent, unum ab altero reliquisve in usum vocatum, recensitum atque emendatum esse contendunt.

a. Matthaeum, qui primus scripserit, Marcum, Lucam deinde utrumque in scribendo adhibuisse arbitrati sunt Grotius, Millius, Wetstenius, Townsonius, Hugius. Secundum Owenium, Griesbachium et de Ammonium Matthaeus primum a Luca, uterque deinde a Marco in usum vocatus est.

Cf. Grotius ad Matth. 1. Luc. 1.
Millii prolegomena in N. T. §. 109 sqq.
Wetstenii praef. ad Marci evang. et Lucae.
Th. Townsonius, Abhandlungen über die 4 Evangelien, übers. v. J. S. Semler. Lips. 1783.
Owenius, Observations on the four Gospels. Lond. 1764.
Griesbachii commentatio, qua Marci evangelium totum e Matthaei et Lucae commentariis decerptum esse monstratur. Jen. 1789 90. (in commentt. theol. a Velthusenio, Künoelio et Rupertio editis. vol. 1.) Ejusd. diss. De fontibus, unde Evangelistae suas de resurrectione Domini narrationes hauserint. Jen. 1793.
de Ammonius (eadem sententia paululum mutata) de Luca emendatore Matthaei. Erlang. 1805.
Theilius de trium priorum Evangg. necessitudine. diss. 1. Lips. 1825.

b. Marcum, qui primus scripserit, in usum vocatum esse a Luca et Matthaeo.

Cf. *Storrius, Ueber den Zweck der evangelischen Geschichte u. dem Briefe des Johannes.* §. 58 *sqq.*
Ejusd. de fonte Evangeliorum Matthaei et Lucae. Tubing. 1794. in commentt. theol. a Velthus., Künoel. et Rupertio. vol. III.

c. Luca, qui primus scripserit, secundum Büschingium Matthaeus usus est, utroque deinde Marcus: secundum Vogelium autem Luca primum usus est Marcus, utroque deinde Matthaeus.

Cf. *Büschingius, Harmonie der 4 Evangelien. Hamb.* 1766 (*in* praefat.)
Vogelius, Ueber die Entstehung der 3 *ersten Evangelien in Gabler's Journal f. auserl. theol. Lit.* 1 *Bd.* 1 *St.*

Contra hanc de mutua evangeliorum ratione sententiam praeter alia haec monenda esse videntur. Primum desunt testimonia historica. Neque in N. T. neque in aliis scriptis certi quid hac de re legitur; nam quod Augustinus in libro de consensu evangg. refert: „Marcus Matthaeum subsecutus tanquam pedisequus et breviator ejus videtur,“ huic opinioni parum favet et multa loca, ubi libros sacros a spiritu div. profectos esse

docet, aperte repugnant. Tum minime perspicitur, cur unus alterve Apostolorum, si jam evangelium ante oculos et ad manus habebat, non ut fide dignum probaverit, usurpaverit, passim suppleverit, propagaverit, sed paucis mutatis suo nomine tanquam novum in lucem ediderit. Porro quodcunque tandem evangelium sive Matthaei sive Marci sive Lucae primum fuisse judicaveris, nullo modo justae sufficientesque afferri poterunt caussae, cur haud pauca a singulis prorsus omissa sint. Consilium, quod quisque habuit, rem minime conficit. Deinde neque dici neque intelligi potest, cur tam multa tribus evangelistis communia sunt et tam multa non; nunc easdem res nunc repugnantes contrariasque admodum, nunc eodem ordine nunc diverso, nunc iisdem nunc diversis sententiis verbisque enarrant, omnia autem simpliciter ac sine partium studio et cupiditate. Postremo quemcunque tandem evangeliorum ordinem admiseris, non liquet, cur quae alter perspicue, alter obscure, quae alter diligenter, alter negligenter perscripserit, ita, ut a levitate, temeritate et consilii inopia haud alieni esse videantur.

Cf. tamen **Hugius**, qui omnium maxime probabiliter hanc sententiam defendit in libro aureo: *Einl. ins N. T.* vol. 2. pag. 1 sqq.

C. Alii eundem rerum fontem i. e. eadem literarum monumenta tribus prioribus evangelistis communia fuisse persuasum sibi habent, sed rem vario modo persequuntur. Horum

1) **alii** plura eaque breviora fingunt documenta antiquissima, quibus evangelistae in memorabilibus Christi componendis usi sint.

Cf. **Clericus**, historia eccles. Amstelod. 1716. p. 429.
Michaelis, Einleitung ins N. T. (4 ed.) tom. 2. §. 144. sqq.
Koppius, progr. Marcus non epitomator Matthaei. Gotting. 1782. (etiam in commentt. theol. a Velthusenio etc. vol. 1. p. 55.)
Halfeldus, de origine quatuor evangeliorum. Gotting. 1794.
Schleiermacherus, Kritischer Versuch über die Schriften des Lucas. Berol. 1817.

2) **Aliis** primarius fons erat evangelium secundum Hebraeos (τὸ εὐαγγ. καθ' Ἑβραίους).

Cf. *Lessingius, Theolog. Nachlass. Vermischte Schriften. vol.* 6. *p.* 50.
Niemeyerus, conjecturae ad illustrandum plurimorum N. T. scriptorum silentium de primordiis vitae J. Chr. Hal. 1790.
Weberus, Beiträge z. Gesch. des neutest. Kanons. 1791.
Ejusd. Untersuchung über das Alter u. Ansehen des Evang. der Hebräer. Tubing. 1806.

3) **Paulus** Heidelbergensis conjecit, Marcum e Matthaeo et Luca hausisse, sed evangelia Matthaei et Lucae facta esse

secundum *ἀπομνημονεύματα* quaedam jam primis temporibus usitata.

Cf. *Paulus, Anzeige von Gray's neuem Versuche, die Entstehung der 3 ersten Evangg. zu erklären* (*vid. Heidelb. Jahrbb.* 1812. *N.* 17. *sqq.*).

4) Alii Matthaeum syro-chaldaicum reliquorum evangelistarum fontem fuisse perhibent.

Papias apud Euseb. h. eccl. 3, 39. *Ματθαῖος μὲν οὖν Ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια συνετάξατο, ἡρμήνευσε δ᾽ αὐτὰ, ὡς ἠδύνατο, ἕκαστος.* At vero ex hoc loco nihil certi colligi potest, quia nexus rerum deest.

Cf. *Corrodius, Versuch einer Beleuchtung der Gesch. des jüd. u. christl. Bibelcanons.* vol. 2. p. 149. (qui e syro-chaldaico Matthaeo jam mature graece verso reliquos hausisse opinatur.)

Feilmoserus, Einl. in d. Bücher d. N. T. Insp. 1810. (qui sumit, Marcum quidem et Lucam variis recensionibus graecis Matthaei jam mature e syro-chaldaico graece versi usos esse, sed Matthaeum evangelium suum syro-chaldaicum denuo eadem lingua recensuisse ac supplevisse, quod postea alius (fortasse Johannes,), verum graecis adhibitis versionibus, in graecum transtulerit.)

5) Alii evangelistas nostros et aramaico quodam Matthaeo et semetipsis invicem in rebus christianis enarrandis usos esse volunt.

Cf. *Boltenius, Der Bericht des Matthäus von Jesu d. Messias. Alton.* 1792. (Secundum hunc ex aramaico Matthaeo, is, quem adhuc habemus, graece versus est: ex utroque, graeco et aramaico exemplari Marcus suum evangelium conflavit atque his omnibus usus est Lucas.)

Seilerus, Diss. 2. de tempore et ordine, quibus tria priora evangelia canonica scripta sunt. Erlang. 1805. 806. (Ex hujus sententia primum aderat evangelium Matthaei aramaicum admodum breve, quod Marcus graece vertit multisque auxit. Tum Matthaeus suum evangelium aramaicum denuo recensuit auxitque, quod alius deinde, evangelio Marci simul usurpato, in graecum transtulit. Ex utroque Lucas suum composuit.)

Schmidtius, Einl. ins N. T. vol. 1. p. 68 sqq. (Tria evangelia credit e versione Matthaei aramaici orta esse, ita tamen, ut suo quisque more evangelium suum verteret. Singulis autem evangeliis postero tempore multa accessisse additamenta.)

At si singuli evangelistae e fonte hauserunt syrochaldaico, non elucet, quomodo in singulis verbis graece vertendis — tanta linguae gr. ubertate — tantopere conspiraverint: sin autem graecis utebantur versionibus, non elucet, cur in verbis tantopere discrepaverint. Et unde verae illae, certe quae esse videntur, in evangeliis discrepantiae (*ἐναντιοφανειαι*)?

6. **Alii** ex evangelio originario aramaico ejusque recensionibus variis versionibusque graecis evangelistarum consensum ac dissensum explicare conati sunt.

Cf. *Eichhornius, Allgem. Bibliothek.* vol. 5. p. 759 sqq. *Ejusd. Einl. ins N. T.* p. 1. 1804. (secunda ed. 1820.)

a. Eichhornius sumit evangelium originarium aramaicum, quod, loca continens omnibus evangeliis communia, ad unum omnes ex variis recensionibus usurpaverint, ita, ut ea in quibus omnes tres consentiant ex originario illo, ea autem in quibus duo tantum consentiant ex una eademque recensione, ea denique quae cuique peculiaria sint ex alia a singulis modo adhibita recensione aliove fonte fluxerint.

Eandem fere de evangelio primario sententiam probarunt:

Zieglerus, Ideen über den Ursprung der drei ersten Evangelien in Gabler's neuestem theologischen Journal. vol. 4. partic. 5.

Haenleinius, Einleitung ins N. T. III, 30.

Künoelius, Comment. in H. N. T. hist. t. I. p. 16.

Bertholdtus, Einl. t. 3. 1205 sqq.

b. Herbertus Marshius rem expedire studuit conjiciendo, evangelium originarium aramaicum graece versum esse, quo Marcus aeque ac Lucas in suis de rebus christianis commentariis conficiendis usi fuerint; praeterea interpretem evangelii Matthaei aramaici textum Marci graecum et ex parte etiam Lucae in usum suum convertisse.

Cf. *Herbertus Marshius, Abhandlung über die Entstehung u. Abfassung uns. ersten 3 canonischen Evangelien in den Anmerkungen u. Zusätzen zu J. D. Michaeli's Einl. übers. v. Rosenmüller.* tom. 2. p. 187 sqq. Gotting. 1795. 1803. 4.

c. Gratzii conjectura, admodum simplex, est haec: ex aramaico evangelio primario, brevi admodum, in usum Christianorum Antiochenorum versio graeca facta est, qua Lucas et Marcus tanquam fundamento usi sunt, nonnullis sectionibus ex aliis literarum monumentis additis. Matthaeus ex aramaico illo evangelio suum idque aramaicum composuit nonnullis e suo ingenio gnomisque collectis ei adjectis; Matthaeum deinde alius vertit graece multa e Marco petens; alii denique quae Matthaeo et Lucae communia sunt partim e Luca in Matthaeum, partim e Matthaeo in Lucam transtulerunt.

Cf. *Gratzius, Neuer Versuch, die Entstehung der drei ersten Evangelien zu erklären. Tubing.* 1812.

Objecerunt his triumviris Eichhornio, Marshio et Gratzio, conjecturam, quam fecerint, non esse simplicem. At enim vero, inquit Eichhornius, via qua ad eam pervenitur est longior, res ipsa s. conjectura est satis simplex: quaecunque enim de mutua

trium priorum evangeliorum ratione quaeri possunt, sufficienter illustrat: porro hoc modo rectius sciri ac dijudicari potest quae genuina sint in libris sacris et quae spuria; nam posteriore tempore e traditione, ex evangeliis apocryphis atque inde a seculo 2. e locis evangeliorum parallelis multa addita sunt, ut tria priora evangelia conformarentur. Objecerunt deinde, nulla, ne levissima quidem evangelii illius originarii in libris historicis exstare vestigia ac frustra cum Bertholdto ad loca quaedam N. T. (Luc. 1, 1. 2. 1 Cor. 11, 23 sqq. 15, 3 sqq. Rom. 2, 16. 1 Thess. 4, 15 sqq. aliaque) provocari: tum ipsum admodum jejunum ac mancum fuisset, quare vix ac ne vix quidem tanta, quantam ei tribuant, auctoritate valuisse videri: porro ejusmodi formula docendorum s. archetypon simplicitati moribusque aevi apostolici minime convenire neque verosimile esse, Apostolos ejusmodi operam male sedulam navasse: denique vel ipsam historiam antiquissimam repugnare (cf. Act. 11, 21. 22.) exemplumque Pauli (Gal. 2, 1. 2.). — Omnino res de qua quaeritur non amplius integra est judiciumque de veritate, indole, mutationibus, usu etc. evangelii originarii ambiguum semper erit ac fluctuans. Quare non mirum est, alios aliam viam esse ingressos.

D. Alii denique evangelium ore propagatum et literarum monumenta de sacris christianis conjungendo hunc locum longe difficillimum explicare conati sunt. Dicunt enim: documenta illa de rebus christianis, jam mature i. e. antequam ampliores Matthaei, Marci et Lucae commentarii prodirent, literis consignata hanc vim habuisse videntur, ut, qui historiam Jesu Christi viva voce traderent, ad normam hujus illiusve scripti fide digni narrationes suas conformarent.

Cf. *de Wettius, Einl. ins N. T. p.* 145.

Schottus, Isagoge hist. critic. in ll. F. N. p. 54 sqq. („documenta illa variorum auctorum breviora, privatim literis consignata ad eam quam commentarii Matthaei, Marci et Lucae prae se ferunt indolem internam duplici modo aliquid contulisse existimamus, partim praeconibus evangelii ore traditi variis locis normae inserviendo, partim ipsis evangeliorum nostrorum auctoribus in scribendo usum quendam praestando, et de Marco insuper concedimus, huic scriptori evangelia Matthaei et Lucae et innotuisse et ante oculos obversata esse. Ceterum minime negamus, quemvis evangelistam in delectu et ordine narrationum constituendo pariter atque in tota orationis conformatione suum quoque ipsius judicium adhibuisse.“)

Hac conjectura admissa negari nequit, consensum ac dissensum evangelistarum facilius posse intelligi, dijudicari, solvi; at vero quod nostram qualemcunque attinet sententiam, nondum invictis argumentis refutatam esse videmus conjecturam Venerabilis Hugii, qui non solum traditionem ore factam et apud Apostolos et apud populum Judaicum i. e. Christi Apostolorumque aequales invaluisse probat, idemque non negat, literarum monu-

menta de rebus christianis jam mature adfuisse (teste Luca 1, 1. 2.); sed mutuum etiam commentariorum suorum usum evangelistis statuit, ita ut Matthaeum Marcus, utrumque Lucas omnesque tres Johannes ante oculos et ad manus habuerit, id quod tam accurate, tam perspicue et rei christianae temporumque rationibus convenienter demonstrasse videtur, ut si rem diligentius tecum reputaveris, vix ac ne vix quidem dubium animo inhaerere possit. Quare, ne longi simus et jam tractata retractemus, lectores ad aureum Hugii librum ablegamus, hoc unum monentes, Matthaeum a Luca, utrumque autem a Marco esse adhibitum in commentariis suis scribendis.

II. PROLEGOMENA IN MATTHAEUM.

§. 1. *De vita Matthaei.*

Matthaeus, sine dubio idem qui Levi (Marc. 2, 14. Luc. 5, 27.) dicitur, filius Alphaei (Matth. 9, 9. Marc. 2, 14. Luc. 5, 27.) portitor Capharnaumi vel certe ad lacum Tiberiadis, quem Jesus inter praetereundum ad se vocaverat et cujus in domo convivio, quo invidiam Pharisaeorum sibi conflavit, interfuerat, in Macedonia, Media, Parthia, Cuschaea (i. e. Arabia, Aethiopia), India aliisque Asiae partibus, teste Eusebio (hist. eccl. 3, 24.), Socrate (hist. eccl. 1, 19.) et Isidoro Hispalensi (de morte Sanctorum c. 67.) sacra christiana propagasse pro iisque mortem violentam obiisse traditur.

a. Vox מַתִּתְיָה, ut proprie sonat nomen Matthaei, conflata est ex מַתָּן et יָהּ i. e. donum Dei, divinitus concessus, *θεόδωρος*.

b. Alii, ut Grotius et Michaelis, qui Levin *ἀρχιτελώνην* ejusque ministrum Matthaeum sine ulla causa sumunt et utrumque eodem tempore in disciplinam Jesu sese tradidisse dicunt: Frischius, Hasius, Heumannus, qui Levin Lebbaeum s. Thaddaeum esse finxerunt, Levin a Matthaeo distinguendum esse censent. Sed huic opinioni repugnat eadem eorum quae in tribus evangeliis hac de re relata leguntur indoles: tum quod evangelistae in perpetuis Christi comitibus recensendis non Levin, sed Matthaeum commemorant: denique, quod mos erat apud Judaeos, gravissimis vitae momentis hominibus nova imponendi nomina, ut in Paulo aliisque factum esse videmus.

Cf. Frischius, comment. de Levi cum Matthaeo non confundendo. Lips. 1746.

Hasius, de Levi a Christo ad Apostolum vocato in Biblioth. Bremens. class. 5. p. 475 sqq. et Biel ibid. class. 6. p. 1038.

Heumannus, Erklärung des N. T. tom. 1. p. 538.

Ex iis qui contrariam sententiam defenderunt cf. praeter alios:
Michaelis, Einl. ins N. T. Bd. 2. p. 939 sqq.
Neues theol. Journal. Heft 1. p. 518.
Bertholdtus, Histor. kritische Einl. vol. 3. p. 1255 sqq.
de Wettius, Einl. ins N. T. p. 172.
Schottus, Isagoge histor. crit. in ll. F. N. Jen. 1830. p. 66. sq.

c. Quae de martyrio Matthaei alii in urbe Aethiopiae Naddabar, alii in urbe Arabiae Beschber et de sepulcro ejus Hierapoli in regno Parthico confabulati sunt veteres, credat Judaeus Apella.

§. 2. *Quo tempore scripserit?*

Alii, ut Theophylactus et Euthymius Zigabenus (sec. 11 et 12) post mortem Christi vel potius post reditum ejus ad patrem anno octavo: alii, ut Nicephorus (sec. 14. h. e. 2, 15.) a. decimo quinto: alii, ut Cosmas Indicopleustes, quum Stephanus lapidibus obrueretur i. e. a. 37 vel 38: alii, ut Irenaeus, quum Petrus et Paulus Romae docerent, i. e. a. 61 vel 65: alii, ut Eusebius, quum Matthaeus in eo esset, ut Palaestinam relinqueret: alii denique idque omnium rectissime, ut Hugius, Fritzschius, Schottus, de Wettius, paulo ante excidium Hierosolymorum (Matth. 23, 24. 27, 9. 28, 15. coll. cum Joseph. bell. Jud. 4. 6.) evangelium suum conscripsisse censent.

a. Irenaeus, adv. haeres. 3, 1. et Euseb. h. eccl. l. 3, c. 29. *Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν διαλέκτῳ καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν εὐαγγελίου, τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν.*

Eusebius, h. e. 3, 24. *Ματθαῖος πρότερον Ἑβραίοις κηρύξας, ὡς ἔμελλε καὶ ἐφ᾽ ἑτέρους ἰέναι, πατρίῳ γλώττῃ γραφῇ παραδοὺς τὸ κατ᾽ αὐτὸν εὐαγγέλιον, τὸ λεῖπον τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ, τούτοις ἀφ᾽ ὧν ἐστέλλετο, διὰ τῆς γραφῆς ἀπεπλήρου.*

b. Alii, ut Herderus (*christl. Schriften. Sammlung 3. p. 348.*) et Eichhornius, partim ex vocibus quae occurrunt v. c. *ἕως τῆς σήμερον* Matth. 27, 8.; *μέχρι τῆς σήμερον* Matth. 28, 15.; *Ζαχαρίας, υἱὸς Βαραχίου* s. *Βαράχου*: partim ex ipsis rebus, v. c. quod ecclesia christiana jam formam quandam induisse refertur; quod excidium Hierosolymorum non solum vividis describitur coloribus, ita ut auctor ipse vidisse videatur, sed etiam quod hoc vaticinium in lucem editum sit, quod Apostoli, salvis Judaeorum rebus, nunquam ausi essent; quod homines christiani secundum Matth. 28, 19. lotione sacra imbuuntur *εἰς ὄνομα τοῦ*

πατρὸς, τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πν., quod aetate apostolica, qua non nisi εἰς τὸ ὄνομα τ. Χρ. baptizari solebant, haud facile fieri potuerit, etc. etc. post excidium Hierosolymorum exaratum esse arbitrantur.

c. Gravissimus locus est Matth. 23, 35., ubi Zacharias, υἱὸς Βαράχου commemoratur. In V. T. commemoratur Zacharias propheta, Barachiae filius (Zach. 1, 1.): tum alius Zacharias, Jebarachiae filius (Jesai. 8, 2.): denique Zacharias, Jojadae filius, qui inter altare et sanctum trucidatus est (2 Chron. 24, 20.), nullibi autem Zacharias, filius Barachiae s. Baruchi, qui hoc modo perierit. Igitur statuendum est, Matthaeum aut memoria lapsum esse, ita, ut, quod facile fieri potuerit, filium Jojadae et Baruchi commiscuerit, ut Schottus aliique ponunt, aut inesse nostro in loco πρόληψιν, quam vocant i. e. Matthaeum loquentem fecisse Christum de Zacharia, filio Barachi, qui paulo ante excidium Hierosolymorum in templo occisus est et de quo Josephus (B. J. 4, 6.) haec habet: δύο δὲ τῶν τολμηροτάτων προςπεσόντες ἐν μέσῳ τῷ ἱερῷ διαφθείρουσι τὸν Ζαχαρίαν, υἱὸν Βαρύχου etc. Sic Hugius et Eichhornius.

d. cap. 24, 15. βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως ex Hugii aliorumque sententia referendum est ad ζηλώτας, qui tunc temporis i. e. paulo ante excidium Hierosolymorum, templo occupato, multas committebant caedes, Annano, pontifici maximo, vehementissime repugnabant et Idumaeos, populum gentilem, qui templum et praesentia sua et caedibus polluebant, in auxilium vocaverant. Quae si vera essent, judicandum esset, Matthaeum eo ipso tempore, quo Judaei fanatico exagitati furore adventum Messiae exspectantes rerum potiri cuperent ac tumultuarentur et quo Romani, Galilaea expugnata, in eo essent, ut Judaeam occuparent, commentarium suum literis consignasse. Est conjectura probabilis quidem, verum minime ab omni dubio aliena. De multis antiquissimorum temporum relationibus valet illa vox: non liquet.

§. 3. *Quanam lingua scripserit?*

Quamquam veteres ad unum fere omnes, ut Papias, Irenaeus, Pantaenus, Origenes, Eusebius, Hieronymus al., et haud pauci recentiorum, ut Millius, Michaelis, Elsnerus, Boltenius, Storrius, Corrodius, Eichhornius, Bertholdtus Matthaeum evangelium suum hebraice i. e. syro-chaldaice scripsisse crediderunt et probare voluerunt: tamen Erasmus, Beza, Wetstenius, Marshius, Schubertus, Hugius, Fritzschius aliique, qui graece eum scripsisse contendunt, verum vidisse videntur. Etenim linguam graecam tunc temporis non solum apostoli, verum plebs quoque in Palaestina callebant: tota oppida in Palaestina et, qui multi

Hierosolymis versabantur, Hellenistae hebraicam minime noverant (Act. 6, 9. 11, 29. 21, 40 — — 23, 5. Joseph. Antiqq. 1, 29. B. J. 2, 22.): porro omnia veterum de aramaico Matthaei evangelio testimonia, excepto Pantaeno, ad unum Papiae (sec. 2.), hominis creduli ac fide indigni redeunt et traditio, ad quam provocant, hac in re nullius est momenti: tum opinio Papiae etiam conjectura colligi historiceque illustrari potest. Nazaraei enim et Ebionitae utebantur evangelio quodam *καϑ' Ἑβραίους* vel secundum Apostolos, quod, ut auctoritatem quandam ei pararent, et ipsum *κατὰ Ματϑαῖον* vocarunt. Quod *καϑ' Ἑβραίους* evangelium partim ex hebraico versum et ad nostrum graecum conflatum partim multis in locis a nostro diversum fabulis nugisque repletum est. Deinde nullus patrum, ne Origenes quidem, exemplar evangelii nostri hebraice scripti investigare potuit, quamvis diligenter id quaesiverint et Peschito, versio illa Syriaca antiquissima, textum Matthaei graecum sequitur; ipsum autem jam primis temporibus periisse minime probabile est. Denique in evangelio Matthaei haud pauca insunt quae auctorem graece scripsisse luculenter probant, ut lusus verborum Matth. 6, 16., paronomasiae quas vocant, discrepantiae a versione Alexandrina etc., quibus quae adversarii de locis, 7, 6. 10, 11. 23, 21. etc. ex hebraico evangelio versis monent vana redduntur.

Cf. *Marshius, Von der Grundsprache des Evang. Matthäi. Hal.*, 1755.

Elsnerus, disp. Matthaeum hebraico sermone conscripsisse suum evangelium. Francof. ad V. 1791.

Storrius, Ueber d. Zweck der evang. Gesch. u. d. Br. d. Joh. p. 261.

Corrodius, Beleuchtung d. Gesch. d. Bibelcanons. tom. 2. *p.* 152.

Eichhornius Einl. tom. 1. *p.* 502.

Bertholdtus Einl. p. 1257.

Paulus, de Judaeis Palaestinensibus Jesu apostolorumque tempore non aramaica dialecto, sed graece quoque locutis. Jen. 1803.

Hugius Einl. t. 2. *p.* 60 *sqq.*

NB. Papias apud Eusebium (h. e. 3, 39.): *περὶ δὲ Ματϑαίου ταῦτα* (*τῷ Παπίᾳ*), *εἴρηται. Ματϑαῖος μὲν οὖν ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια συνεγράψατο, ἡρμήνευσε δ' αὐτὰ, ὡς ἠδύνατο, ἕκαστος.*

Irenaeus, adv. haeres. 3, 1. coll. Euseb. h. e. 5, 8.

Origenes apud Euseb. h. e. 6, 25.

Eusebius, h. e. 3, 24.

Hieronymus in catalogo virorum eccles. sub v. Matthaei dicit: „evangelium Christi hebraicis literis composuit, quod quis postea in graecum transtulerit, non satis certum est."

§. 4. *Quodnam consilium habuerit?*

Quemadmodum reliqui apostoli, sic etiam Matthaeus probare studuit, Jesum esse Messiam accommodate ad animos eorum, qui a sacris Judaeorum ad christiana sese contulerant. Probavit autem ex eo, quod miro modo Jesus natus sit (1, 2.); Johannes baptista eum antecesserit (3, 1. coll. 17, 1—8.); ex divina doctrinae christianae indole et docendi genere, inprimis parabolico (5—7, 13. 15, 25 sqq. 18, 22 sqq. 23, 13—14.); e miraculis, quae Salvator patravit (6, 13. 28 sq. 14, 31 sq.); e vaticiniis quae edidit (12, 40. 16, 21. 17, 27. 25, 27.); e factis ejus (12, 16 sq. 13, 34 sq. 21, 2 sq.); e fatis quae subiit (4, 1 sq. 26, 31 sq.) atque ex eo quod speciem Messiae, qualem vates V. T. descripserint, ratam fecerit totaque vita sua expresserit (1, 23. 2, 6. 15. 18. 3, 3. 4, 14. 8, 17. 12, 17. 13, 35. 21, 4. 26, 56. 27, 9.).

§. 5. *Ad quos et quorum in usum scripserit?*

Plerique, Hieronymum secuti, in usum Christianorum e Judaeis Palaestinensibus; paucissimi, ut Schubertus et Fritzschius, in omnium Judaeorum usum scripsisse contendunt. Utrum verum sit, invictis rationibus non potest probari.

a. Hieronymus in praefat. ad Matth. refert: „Matthaeus in Judaea evangelium hebraico sermone edidit ob eorum maxime causam qui in Jesum crediderunt e Judaeis.“

b. Schubertus, diss. qua in sermonem quo evangelium Matthaei conscriptum fuerit, inquiritur. Gotting. 1810. p. 31 sq.

c. Fritzschius, comment. in Matth. p. 16.

d. Scripsisse videtur Matthaeus in usum Palaestinensium, quoniam neque opiniones, consuetudines moresque Judaeorum neque loca quae commemorat accuratius definit, ut Marcus et Lucas, sed omnia tanquam lectoribus suis satis nota ponit. Huic rei non repugnat c. 22, ubi de Sadducaeis addit: *οἱ λέγοντες μὴ εἶναι ἀνάστασιν,* quoniam opiniones eorum in vulgus nondum emanaverant (cf. Joseph. Antiqq. l. 18. c. 1. §. 4.) neque quod 27, 15. de more captivum festo quoque paschali in populi gratiam dedendi ac liberandi, qui certe Hellenistis incognitus esse poterat, legitur; neque ubi nonnullos V. T. locos, quos allegavit, explicuit, quod fecisse putandus est in usum eorum, qui quoniam usus linguae graecae ubique fere invaluerat, linguam hebraicam minus vel prorsus non callerent.

§. 6. *De authentia.*

Authentiam evangelii Matthaei, quod et veteres et recentiores ad unum omnes pro genuino habuerunt, novissimis temporibus,

sed frustra in dubium vocare ausus est **Roedigerus**, **Orellius**, **Schulthessius** et inprimis **Dav. Schulzius**, **Schleiermacherus**, **Luckius**, **Usterius**, **Fischerus**, **Schneckenburgerus**.

1) Praeterea, quod nullibi se auctorem hujus evangelii prodit, (quod tamen veteres haud semel fecerunt,) D. Schulzius haec potissimum urget: insunt voces nimis universales quae a perpetuo Christi comite quam maxime alienae sunt, ut 4, 24 sq. 8, 16. 9, 35. 13, 58. coll. Marc. 6, 5 sq. Luc. 4, 23 sq. — At primum inde nihil colligi potest: tum non sine causa a Matthaeo prolatae sunt.

2) Haud pauca a Matthaeo prorsus praetermissa sunt, ut cognomina quaedam 10, 2. coll. Marc. 3, 17.; nomina hominum 20, 30. coll. Marc. 10, 46.; ablegatio septuaginta discipulorum Luc. 10, 1. — At inde nihil sequeretur nisi, Matthaeum vituperandum esse, quia res memoratu dignas omiserit. Verum, etiamsi nomina quaedam omisit, res ipsas enarravit.

3) Interdum duplicavit nomina Matth. 8, 28 sq. 20, 30; res et sententias 14, 13 sq. 15, 20 sq. 17, 20. 21, 21. 24 et 25, 31 sq. — At id poterat rei gravitas, similitudo eorum quae enarravit, mos temporum, mos Jesu ipsiusque scriptoris flagitare. Quaeritur, utrum recte fecerit nec ne. Tum in utramque partem potest disputari, quisnam evangelistarum verum retulerit. Denique in nonnullis locis non idem refertur, ut 12, 38 sq. et 16, 1., ubi Matthaeus σημεῖον simpliciter et σημεῖον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ipse distinguit.

4) Non semper res ad sua revocavit tempora neque loca, ubi quid evenerat, neque nomina, mores dignitatemque hominum diligenter descripsit, obscuris utitur et late patentibus formulis v. c. *ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, τότε, παράγων ἐκεῖθεν, ἐπορεύθη ἐκεῖθεν, ἄνθρωπος, εἷς, γυνή, προσήνεγκαν αὐτῷ πάντας* 4, 24. *πάντας ἐθεράπευσεν* 8, 16. *περιῆγεν πάσας πόλεις* 9, 35. *θεραπεύων πᾶσαν νόσον* 10, 1. etc. — At haec omnia pendent a consilio quod auctor habuit, a felici infelicive memoria et a judicio Matthaei in rebus minoris majorisve momenti enarrandis.

5) Matthaeus ex iis quae Jesus diversissimis temporibus docuit longas quasdam conglutinavit orationes. — At id primum in omnes omnium antiquitatis temporum scriptores cadit, quorum scripta hac de causa nemo addubitat: tum haud pauca eorum, quae apud reliquos evangelistas diversis temporibus evenisse leguntur, etiam uno eodemque temporis momento evenisse vel evenire potuisse, certe negari nequit: denique haec dijudicanda sunt e consilio Matthaei, quod passim a reliquorum evangelistarum consilio admodum discrepat.

6) Haud pauca minus diligenter ac perspicue quam Marcus et Lucas tradidit, ut 8, 28 sq. 20, 20 sq. coll. Marc. 10, 35. 28, 7. 10, 16. — At id partim caderet in ingenium auctoris, partim culpa est interpretum; qui haec aliaque ejus commentarii loca male intellexerunt.

Huc accedunt maximam partem ex mente de Wettii (*in l. Exeget. Handbuch p. 3. 4.*):

7) Miracula quaedam v. c. tentatio Christi, exsecratio ficus, stater in ore piscis, resurrectio aliquot sanctorum morte Christi quae, etiamsi miracula credis, historiae evangelicae non inserenda aut certe addubitanda sunt.

8) Haud paucae narrationes aut secum ipsis aut cum aliis relationibus pugnant; v. c. de rationibus Johannis B. ad Jesum alia 3, 16 sq., alia 11, 3. 11. Act. 18, 36. 19, 3. traduntur, et quae de custodibus ad sepulcrum Christi collocatis corruptisque pecunia leguntur, aperte falsa sunt.

9) Vaticinia quaedam V. T. in causa fuisse videntur, ut auctor res in facto positas aliter enarraret, ut 21, 7.; fortasse etiam 27, 3—10. 39 sqq.

10) In oratione illa montana Jesus se Messiam jam profitetur; nihilominus 16, 16 sq. Petro id divinitus patefactum esse declarat atque cum hominibus communicare vetat.

Quae omnia evangelium Matthaei neque in dubium vocare nedum spurium esse probabunt. Gravissimum autem argumentum ad authentiam evangelii probandam est hoc, quod auctor sive res quas enarravit, sive quomodo eas exposuit spectaveris, ubique suum secutus est ingenium, quod luce clarius apparet.

Cf. *Dav. Schulzius, Die chr. Lehre v. heil. Abendmahle. p.* 302. (in prima editione; nam in secunda haec omnia omisit promittens, se in peculiari libello rem esse confecturum.) Scripsit contra eum
Fritzschius, in comment. ad Matth. p. 20 sq.
Heydenreichius, in Winer's u. Engelhardt's neuem krit. Journal. vol. 3. fasc. 2. p. 129 sqq. fasc. 3. p. 385 sqq.

Roedigerus, Symbolae quaedam ad N. T. evangg. potissimum pertinentes. Hal. 1827.
Orellius, selecta capp. ad εἰσηγητικὴν sacram pertt. p. 2. Turic. 1821.
Schulthessius, Biblisch-exeget. Repertor. v. K. u. H. Rosenmüller. vol. 2. Lips. 1823.
Fischerus, Einl. in die Dogmatik etc. Tübing. 1828. *p.* 125 *sqq.*
Kienerus, recentiores de authentia evang. Matth. quaestiones. Götting. 1832.
Schneckenburgerus, über d. Ursprung des ersten can. Evang.
Authentiam integritatemque evang. tuiti sunt:
Sieffertus, über den Ursprung des ersten canon. Evang. 1832.
Kernius, über den Ursprung des Ev. Matth. (*in l. Tübing. Ztschr. f. Theol.* 1834.)
Praeterea vid. Schotti Isag. p. 74 et 77.

§. 7. *De fontibus e quibus hauserit?*

Matthaeus neque ex aramaico illo, quod tres priores evangelistae adhibuisse dicuntur, exemplari neque e Marco neque Luca neque sola traditione ore facta hausisse, sed partim quae ipse viderat atque audiverat partim quae ab aliis hominibus fide dignis acceperat, literis mandasse videtur.

§. 8. *De Interpretibus.*

E Graecis:

1) Origenes (sec. 2.), Exegetica (σημειώσεις, τόμους, ὁμιλίας i. e. scholia, commentarios, sermones sacros) in omnes fere libros N. T. composuit, quorum reliquiae servatae sunt.
2) *) Chrysostomus (sec. 4.) homilias in Matthaeum confecit, in Opp. a Montefalconio ed. Paris. 1718 sqq.
3) Theophylactus, Archidae in Bulgaria archiepiscopus († 1107.), commentarios in 4 evangg. conscripsit. Lut. 1631.
4) Euthymius Zigabenus s. Zigadenus, monachus Constantinopolitanus tempore Alexii Comneni († 1118.) commentarium elaboravit in 4 evangg., quem graece edidit Matthaei. Lips. 1792. 3 voll. 8.

E Latinis:

*) Hieronymus, Stridone in confinibus Dalmatiae ac Panneniae a. 346 oriundus, linguae gr., lat. et hebr. peritus, optimus ll. ss. e Latinis interpres, scripsit commentarium in Matthaeum. Opp. ed. Martianay et Puget. Par. 1593 sqq.

Seriore tempore floruerunt:

Adnotata ad ss. Evangelia etc. sive Criticorum sacrorum tt. 4. Francof. ad M. 1696. (qua editione usi sumus.) (Hi continent, quae

a) Seb. Munsterus in D. Matth. Hebr.,
b) Laur. Valla,
c) Jac. Revius in Vallam, (Annatt. in N. T. Basil. 1516.)
d) Erasmus Roterodamus,
e) Francisc. Vatablus,
f) Seb. Castalio,
g) Joh. Drusius,
h) Joh. Scaligerus,
i) Joh. Casaubonus,
k) Joh. Camero,
l) Otho Gultperius,
m) Jac. Capellus, } Jac. Capelli observatt. in N. T. cum
n) Lud. Capellus, } Lud. Capelli spicileg. Amstelod. 1656.
o) Hugo Grotius (de quo vid. infra),
p) Lud. Capelli Corban,
q) Abr. Scultetus et
r) Henricus Stephanus in nostrum evang. commentati sunt.)

*) Theod. Bezae Adnott. maj. ex offic. H. Stephani 1594; in ed. N. T. 1598.

Joh. Pircaei Commentarii in varios N. T. ll. Lond. 1660.

*) Lightfooti Horae hebr. et talmudicae. Lips. 1679.

*) Schoettgenii Horae hebr. et talmud. in universum N. T. Dresd. et Lips. 1733.

*) Meuschenii N. T. ex Talmude et Antiquitatibus Hebraeorum illustratum etc. Lips. 1736.

*Wetstenii N. T. Amstelod. 1751.

*) Hugo Grotius, Sacrae adnotationes in N. T. universum, quas edidit Windhemius. Erlang. 1755. 2 voll. 4.

Joh. Christoph. Wolfius, Curae exegetico-criticae in N. T. Hamburg. 1739. 2 voll.

Eduardi Leighii in N. T. Annotationes etc. Ex anglico latine transtulit Theod. Arnoldi. Lips. 1732.

Joh. Alberti, Observationes philologicae in ss. N. T. ll. Lugd. Batav. 1725.

*) *Christoph. Aug. Heumannus, Erklärung des N. T. Hannov.* 1750.

Chr. Matth. Pfaffii Nott. exeg. in ev. Matth. 1721.

Eliae Palaeretus, Observationes philolog. in ll. N. T. ss. Lugd. Batav. 1752.

Georg. David. Kypkius, Observationes sacrae in N. T. ll. Vratislav. 1755.

*) Joh. Alb. Bengelii Gnomon N. T. etc. ed. 2. Tubing. 1759.

*) Ejusd. Apparatus criticus ad N. T. ed. 2. cur. Phil. David. Burkio. Tubing. 1763.

Elsnerus, comment. critic. philol. in ev. Matthaei. ed. Stosch. Zwollae, 1767.

(F. L. Roeperus), Exeget. Handbuch d. N. T. Lips. 1788. 98.

Joh. Dav. Michaelis, Anmerkungen für Ungelehrte zu seiner Uebersetzung des N. T. Gotting. 1790.

Boltenius, Bericht des Matthäus von Jesu dem Messias, mit Anmerkungen. 1792.

Conjecturen über das N. T. (von Bowyer). Aus dem Engl. mit Zusätzen u. Berichtigungen v. Joh. Christoph Friedr. Schulz. Lips. 1774.

Joh. Otto Thiessius, Das N. T. oder die heiligen Bücher der Christen, neu übers. mit einer durchaus anwendbaren Erklärung. ed. 2. *Lips. et Gerae*, 1794.

Christoph. Frid. Loesneri Observationes ad N. T. e Philone Alexandrino. Lips. 1777.

Moellerus, Neue Ansichten schwieriger Stellen aus d. 4 Evangelien. Gothae, 1819.

*) *Gratzius, Histor. krit. Comment. über das Ev. des Matthäus. Tubing.* 1821.

Joh. Otto Thiessius, Neuer kritischer Commentar über das N. T. Hal. 1804.

*) J. G. Rosenmullerus, († 1815) Scholia in N. T. (edit. 6.) Lips. 1815—32.

*) *Henr. Eberh. Paulus, Philologisch-kritischer u. historischer Commentar über das N. T., in welchem der gr. Text nach*

einer Recognition der Varianten, Interpunction u. Abschnitte durch Einleitungen, Inhaltsanzeigen u. ununterbrochene Scholien als Grundlage der Geschichte des Urchristenthums bearbeitet ist. Lips. 1812. 3 *voll.* (vol. 4 non nisi aliquot capita evang. Johannis continet.)

*) Christ. Theophil. Kuinoelius, Commentarius in H. N. T. historicos. Lips. 1823. (ed. 3.)

*) Carol. Frieder. Aug. Fritzschius, Evangelium Matthaei recensuit et cum commentariis perpetuis ed. Lips. 1826.

*) *Olshausenius, Commentar über sämmtl. Schriften des N. T.* 2 *Bde.* (cont. 4 evangg. et Acta Apost.) *Berol.* 1830 u. 32. 8. (ed. 2.).

Hennebergius, Philolog. histor. u. krit. Commentar üb. die Schriften des N. T. P. 1. 1829.

Meyerus, Comment. üb. d. N. T. P. 1. 1832.

*) *de Wettius, Kurze Erklärung des Ev. Matth. Lips.* 1836.

De reliquis, quae huc pertinent, scriptis vid. commentarium nostrum in Matthaeum.

COMMENTARIUS IN EVANGELIUM MATTHAEI.

Inscriptio hujus libri, non ab ipso evangelista profecta, hoc modo expedienda est:

εὐαγγέλιον] hl. commentarius de origine, doctrina, rebus gestis fatisque Salvatoris.

κατὰ Ματθαῖον] (minime i. q. *τοῦ Ματθαίου*,) innuit, plures ejusmodi commentarios conscripsisse.

Caeterum lectio *τὸ κατὰ Ματθαῖον ἅγιον εὐαγγέλιον* pietati serioribusque debetur temporibus. Antiquitas erat simplex ac brevis.

Genealogia J. Chr.

Cap. I, 1—17.

vs. 1. *βίβλος γενέσεως*] alii (minus recte): librum de vita Jesu; alii: catalogum generis s. majorum J. Chr. intelligunt. hl. libellus de nativitate, originibus.

Ἰησοῦ Χριστοῦ] Jesu, qui *κατ' ἐξοχήν* dicitur Messias.

υἱοῦ Δαυΐδ, υἱοῦ Ἀβραάμ] filii Davidis, qui (sc. Davides) originem suam debet Abrahamo. Igitur genuinus Judaeus (non ab Edomitis, quemadmodum Herodes), ex mente de Wettii. Messias filius Davidis simpliciter dicitur in N. T. Matth. 12, 23. Luc. 18, 38.

vs. 2—17. Sequitur tabula genealogica, quae tribus partibus, quarum cuique quatuordenas addidit stirpes, absolvitur. Prima ab Abrahamo usque ad Davidem pertinet (annos complectitur 1200); altera a Davide usque ad exsilium Babylonicum (annos 420); tertia ab exsilio Babylonico usque ad Josephum vel potius Christum (annos 610). Hanc tempus computandi rationem iniit auctor, non propter tres illas, quas Judaei ante Christum experti fuerant, gravissimas rerum mutationes, sed ut memoriae hominum succurreret. Premittur autem hic locus nonnullis difficultatibus:

a. Matthaeus vs. 17. dicit: *πᾶσαι οὖν αἱ γενεαὶ ἀπὸ Ἀβραὰμ ἕως Δαυΐδ γενεαὶ δεκατέσσαρες;* at omisit vs. 8. Achasiam, Joasum et Amasiam, reges Hebraeorum. Videtur hoc fecisse vel cum voluntate, quia omnibus erant notissimi (ex mente Bengelii in Gnom. p. 8.), vel ut aequalem adderet numerum, vel memoria lapsus, vel ex more Orientalium in genealogiis recensendis hanc illamve stirpem praetermittendi, vel propter eorum impietatem vel vocum (*Ὀχαζίας* et *Ὀζίας*) similitudine etc. **Sens. vs. 17.** Omnes igitur stirpes, quae commemorandae erant, ut de origine Christi constaret Davidica, efficiunt tres tesseradecadas.

b. In prima sectione ab Abrahamo usque ad Davidem et in secunda a Salomone usque ad Jechoniam quatuordecim bis numerantur stirpes: at in tertia a Salathiele usque ad Josephum, vitricum Jesu, non nisi duodecim memorantur stirpes, omisso Christo. Quare

Alii, ut Matthaeius (*Ueber das Geschlechtsregister Jesu beim Matthäus. Hannov. 1794.*), subintelligendum esse putant omnium hominum patrem Deum (cf. Luc. 3, 38.). — At eodem jure contendi posset, deesse Adamum; tum in tertio ordine unus deest.

Alii, ut Chrysostomus, pro persona numerandum esse exsilium Babylonicum.

Alii, ut Paulus Heidelbergensis in tertio ordine nomen quoddam injuria temporum periisse; ut Michaelis (*Anmerkk. p. 6.*) culpa interpretis, qui aramaicum Matthaei evangelium graece verterit. Epiphanius legi vult: *Ἰεχονίας* (i. e. Jojakimus, pater Jechoniae, 1 Chron. 3, 15. 16.) *ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν, Ἰεχονίας δὲ ἐγέννησε τὸν Σαλαθιήλ.* Hieronymus, voces Jochakim et Jechoniah a librariis esse confusas, opinatur.

Alii, ut Bennigsenius (*Bibl. Zeitrechnung. Lpzg. 1778. p. 189.*) vs. 13 et 14 inserendum esse Abnerum inter Eljakimum et Asorem.

Alii, ut Lightfootus (in horis hebr. ad h. l.) Matthaeum ejusmodi minutias non admodum curasse.

Alii, ut Olearius (Observatt. sacrae p. 30 sqq.), Bengelius (in Gnom. p. 12.); Kuinoelius, Fritzschius, Davidem bis numerandum esse (cf. vs. 17) et Christum ipsum numero addendum. Id verosimillimum est.

NB. Fortasse aliquis conjiciat: vel duo majores, Davidem, qui primam sectionem, et Jechoniam, qui secundam claudit, bis esse numerandos, vel Matthaeum, et γενεάς i. e. aetates (sensu ambiguo), et majores (e quibus notissimos tantum et praestantissimos retulit,) respexisse. cf. vs. 17. verba ἕως τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος et ἀπὸ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος.

c. Tertia difficultas est: Matthaeus id quod voluit, Jesum Christum esse e gente Davidica, non probasse videtur, quoniam non nisi originem Josephi, vitrici ejus, a Davide deduxit, et Christus habebat patrem Deum. Quorsum igitur haec genealogia? Nihil aliud demonstrare voluit auctor (cf. vs. 16.), quam Jesum per Josephum vitricum, (quem plerique tunc temporis pro patre Christi habuisse videntur,) pertinere revera ad gentem Davidicam.

d. Quarta difficultas nascitur, si hanc genealogiam cum Lucae 3, 23 sqq. contuleris.

1) Lucas a Josepho incipit ac pergit usque ad Deum: Matthaeus modo plane diverso ab Abrahamo usque ad Josephum.

2) Lucas aliam majorum seriem exhibet quam Matthaeus aliaque nomina.

3) Lucas patrem Josephi Elium, Matthaeus Jacobum esse dicit.

4) Lucas filium Davidis Nathanem, Matthaeus Salomonem memorat.

5) Lucas Salathielem filium Neri et Melchi, Matthaeus filium regis Jechonjae esse scripsit.

Alii, ut Helvicus, Spanhemius (in Dubiis evangg.), Rusius (harmon. evangg.), Michaelis (*Anmerkk. z. Matth. p. 9.*), Bengelius (in Gnom. 1, 9 sqq.), Doederlinius (inst. th. chr. p. 242.), Rosenmullerus (in scholl.), Paulus (ad h. l.), censent Lucam Mariae, Matthaeum Josephi genealogiam perscripsisse. At id inusitatum, quid quod inauditum fuisset de genealogia feminae et uterque disertis verbis repugnat.

Alii, unam eandemque esse genealogiam Josephi, sed diverso modo derivatam. Legitimum Josephi patrem ex jure leviratus (Deut. 25, 5 sqq.) fuisse Elium (Luc. 3, 23.); naturalem Jacobum (Matth. 1, 16.)

cf. Julii Africani epist. apud Euseb. h. e. 1, 7. At nomen ejusmodi filii non in patris naturalis, sed legitimi genealogiam erat referendum.

Alii, ut Fritzschius, dicunt: Nihil obscurius esse solet magnorum virorum originibus. Quid igitur mirum, si primi e Judaeis Christiani post Christi demum mortem in ejus majores accuratius inquisiverint et, quum post Davidem paulatim ad maximam fortunae tenuitatem detrusi fuerint, duplicem conjectando genealogiam conscripserint.

De Salathiele vid. Hugius, *Einl.* t. 2. p. 266 sqq. (ed. 3.)

De toto loco cf. Wolfius in Curis ad h. l.
Koecherus in Analectis ad h. l.
Bengelius, in Gnom. p. 9 sqq.
Thiessius, Krit. Commentar üb. d. N. T. vol. 2. p. 289 sqq.

Etiamsi cum Rosenmullero statuis, Christum adhuc vivum saepius vocatum esse filium Davidis, nihil regerentibus ejus adversariis, inde nihil colliges et locus suis nondum solutus est difficultatibus.

Denique, utrum Matthaeus ipse hanc genealogiam confecerit, an jam ab aliis conscriptam in usum suum vocaverit, ut Paulus, Straussius (vit. Chr. I. p. 158.) credunt, ambiguum est. Id patet, lectores evang. nostri ejusmodi genealogiam desiderasse.

vs. 3. Θάμαρ] Inusitatum erat Judaeis in tabulis genealogicis mulierum recensere nomina: cur igitur Thamar, quae ex incestu cum Juda (Gen. 38, 25.) partu edidit Pharem et Zaram?

Alii (Wetsten. ad h. l. et Paulus p. 250 sq.) Thamaris, Rahabae, Ruthae et Uriae uxoris mentionem factam esse, ne doctrinam christianam homines respuerent, quia Jesum vel Josephi filium vel adulterio natum appellaverint. Quod Matthaeus neque voluit neque potuit concedere.

Alii, ut Kunoelius et Fritzschius, ut diligentiam suam in genealogia conscribenda proderet.

Alii, ut de Wettius, honoris causa, quia genealogia Messiae etiam per has erat deducenda.

Quamquam non negligendum est, Judaeos in ejusmodi criminibus judicandis, bonam praetexentes causam, faciliores fuisse (Wetsten. ad Hebr. 11, 31.).

vs. 5. ἐκ τῆς Ῥαχάβ] Ruth. 4, 21. 1 Chron. 2, 11. Quoniam in V. T. non legitur, Rahabam matrem fuisse Boasi, auctor traditionem secutus esse videtur. Alii affirmant ean-

dem esse eum meretrice (Jos. 2, 1.) illa Hierichuntina feminam; alii negant, quippe quae senio jam confecta Salmoni nubere non potuerit. Alii Josuam, alii Salmonem eam in matrimonium duxisse dicunt. Numerantur autem in pulcherrimis terrae mulieribus quatuor — Sara, Abigael, Rahab et Esther. cf. Wetsten. ad h. l.

ἐκ τῆς Ῥούθ] Ruth. 3, 8 sqq.

vs. 6. *ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου*] 2 Sam. 11 et 12. Judaei seriore tempore finxerunt, Uriam jam, antequam ad bellum proficisceretur, uxorem suas sibi res habere jussisse. Wetsten. ad h. l.

vs. 9. *τὸν Ὀζίαν*] hl. abnepos. Dici nequit, ut jam vidimus, cur Achasiam, Joasum et Amasiam (2 Reg. 8, 24. 1 Chron. 3, 11. 2 Chron. 26, 1.) praetermiserit.

vs. 11. *Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τ. Ἰεχονίαν*] (1 Chron. 3, 15. 2 Chron. 36, 8. 2 Reg. 24, 6.) Josias genuit non Jechoniam, sed Jojakimum et hic Jechoniam: igitur aut vox *γεννᾶν* latiori sensu dicitur, aut Matthaeus erravit aut cum Fischero (Proluss. de vitiis lexic. p. 422.) statuendum, auctorem Graecis auribus (pro Jojakimo dicentem Jechoniam — quod minime probabile est —) consulere voluisse (cf. contra vs. 13.).

καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ] Kunoelius, Fritzschius haec verba delent, quia fratres ejus nusquam commemorantur.

ἐπὶ τῆς μετοικεσίας] tempore demigrationis, exsilii.

vs. 12. *μετὰ τὴν μετοικεσίαν*] post demigrationem in Babyloniam i. e. in ipsa Babylonia. 1 Chron. 3, 16.

Ἰεχονίας ἐγένν. τ. Σαλαθ.] 1 Chron. 3, 17. — Jechonias a Jeremia (22, 30.) עֲרִירִי, *ἄτεκνος*, improprie dicitur, i. e. cujus filii regnum Davidicum non essent occupaturi, patre adhuc vivo. Praeterea de h. l. cf. Hugius, *Einl.* p. 266. (ed. 3.) et Fritzschius, Comm. ad h. l. p. 25.

τὸν Ζοροβάβελ] Sorobabel proprie filius Pedajae, sed Salathieli a fratre progenitus.

vs. 13—15. De his viris gentis Davidicae injuria temporum ad infimum locum detrusae historia silet.

vs. 16. *Ἰωσήφ*] fabri opificium exercuit (13, 55.); fuit *δίκαιος* et jam ante obitum Mariae diem obiisse videtur, quoniam praeterea in N. T. nulla ejus fit mentio. In libris Talmudicis dicitur Pandira, פַּנְדִירָא, *Πάνθηρ*.

Qui Jacobum apud Matthaeum cum Elio apud Lucam (alii: *υἱὸς Ἰωσήφ, τοῦ Ἡλί*) — Josephus est gener Elii;

alii: Jesus est Elii nepos; alii provocant ad jus leviratus et cognationem Jacobi et Elii) conciliare student, frustra laborant.

τὸν ἄνδρα Μαρίας] hl. non sponsum, sed maritum — (non re, sed spe ex communi hominum more) Mariae, quam alii, ut Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius Zigabenus, Olshausenius e gente Davidica fuisse contendunt; alii autem vel negant vel addubitant.

Ἰησοῦς ὁ λεγόμ. Χριστός] cui cognomen est Christi. λέγεσθαι non est i. q. esse, sed dici, appellari; utrum recte nec ne, aliunde discendum est.

vs. 17. γενεαί] Grotius: personae generatae; Beza: progenies; Fritzschius: stirpes.

Conceptio et ortus J. Chr. I, 18—25.

vs. 18. οὕτως ἦν] sic erat, tali modo sese habebat.

πρὶν ἤ] i. e. πρὶν συνελθεῖν, et de domicilio dicitur et toro. Illud videtur suadere vs. 20. 24., attamen non necessario.

εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα] non solum erat, sed gravida etiam deprehensa est = ἐφάνη.

ἐκ πν. ἁγ.] verba autoris judicium suum interponentis. De vi hujus v. et opinione Judaeorum, Messiam sine humani patris interventu proditurum esse, cf.

Wetstenius, ad h. l.
Schmidtius, Biblioth. f. Krit. vol. 1. p. 277.
de Ammonius, Bibl. Theol. vol. 1. p. 236.
de Wettius, Bibl. Dogmat. §. 232 sq.
Bertholdtus, Christol. Jud. p. 147.
(*Waltherus*), *Versuch eines schriftmässigen Beweises, dass Joseph der wahre Vater Christi sei. Berol.*, 1791.
Schubertus, (contra), De infantiae J. Chr. historiae a Matthaeo et Luca exhibitae authentia et indole. Gryphisvald. 1815.

vs. 19. δίκαιος] aliis, (ut Grotio,) omnibus numeris absolutus, probatus; aliis justus; aliis lenis. hl. probus. παραδειγμ. Erat lex Judaeis, qua sponsa, quae auxilio hominum non implorato vim sibi inferri passa erat, lapidibus obrueretur. Deutr. 22, 23—27. Exod. 22, 16. Deut. 22, 28.

λάθρα] non: testibus non adhibitis (qui semper adesse debebant,), sed caussa repudii omissa, non publice. Alii, ut de Wettius, ita, ut nemo rem resciret. Sens. Josephus autem, ejus sponsus, quod lenis erat ingenii, neque a se impetraret, ut ei publicam ignominiam inferret, maluit clam eam dimittere. cf. Fritzschius p. 42.

vs. 20. κατ' ὄναρ] quo tempore videbat somnium, per, secundum somnium.

μὴ φοβηθ.] ob oracula V. T. de origine Messiae Davidica; alii: honoris studio. τὴν γυναῖκά σου] ut sit tua mulier.

τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθέν] quod enim per eam (alii: in ea, ut de Wettius,) ortum est. Quoniam de sexu nondum constabat, τὸ γεννηθέν dicitur, monente jam Bengelio l. l.

Ἰησοῦν] יְהוֹשֻׁעַ, alii: Jehovae auxilium; alii: Jehova est auxilio; alii i. q. יְשׁוּעָה, salus.

vs. 21. αὐτὸς γάρ] ipse enim, minime αὗτος.

τὸν λαὸν αὐτοῦ] Judaeos. ἁμαρτιῶν] alii: a poenis peccatorum; alii: ab imperio Romanorum gravi. hl. a peccatis eorumque miseria.

vs. 22. τοῦτο δὲ ὅλον γεγ.] alii, ut Chrysostomus, Paulus, ad angeli orationem; alii, idque rectius ad Matthaeum judicium suum haud semel (cf. 21, 4. 27, 9.) interponentem referunt.

ἵνα πληρωθῇ] alii: ita, ut hl. idem valeret, quod in V. T. legitur. — ἐκβατικῶς s. τελικῶς, ut etiamnum de Wettius. Male! nam primum repugnat communis Judaeorum opinio ac vel Christi et Apostolorum, fata Messiae in V. T. esse descripta; tum πληροῦσθαι est eventu comprobari, et ἵνα ubique signif. ea mente, eo consilio, ut etc. Notissimum est hominem Judaeum in V. T. vaticinia, typos, similitudines, exempla, locos parallelos, universe dicta etc. et quaesivisse et invenisse.

διὰ τοῦ προφήτου] Jes. 7, 14., per prophetam, quem nostis. Ahasus, rex Judaeae, a Rezino, Syrorum, et Pecacho, Israelitarum rege, petebatur bello. Quos ut victricibus profligaret armis, auxilium petere volebat ab Assyriis. Ab hoc consilio eum avocare studet Jesaias, hoc addito signo (σημείῳ, omine): ἡ παρθένος etc., uxor, quam nostis i. e. uxor prophetae, ut e nexu patet. cf. Gesenii Comm. ad h. l., Hitzigius, in l. theol. Stud. et Krit. vol. 3. p. 591. παρθένος dic. virgo, sive nupserit sive non nupserit. Haec igitur auctor (quod jam multo ante a LXX factum est,) transtulit ad Messiam, quem Judaei a muliere virum non experta oriturum crediderunt. cf.

Henkius, N. Magaz. vol. 3. p. 371.
Schmidtius, Bibl. f. Exeges. u. Kgesch. vol. 1. *p.* 101.
Paulus, ad h. l.
Bauerus, Hebr. Mythologie des A. u. N. T. vol. 2. *Lips.* 1803.
Rosenmullerus in Gableri Journal für auserl. theol. Lit. vol. 2. *p.* 253.
de Ammonius, Bibl. Theol. vol. 2. *p.* 250. et opusc. theol. p. 25. *Fortbildung d. Christ.* 1. *p.* 263 *sq.*
Keilii et Tzschirneri Annalect. vol. 1. p. 43 sq.
Baueri Bibl. Theol. d. N. T. p. 315.
Straussius, vol. 1. p. 174.

vs. 25. οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτήν] inest euphemismus, rem cum ea non habuit. Caes. B. G. 6, 21. feminae notitiam habere.

πρωτότοκον] i. q. בְּכוֹר, alii carum, dilectum. Male! Debetur haec significatio opinioni, Josephum cum Maria nunquam rem habuisse, cui repugnat: ἕως οὗ ἔτεκε τ. υ.; deinde πρωτότοκος et loca N. T., ubi fratres Jesu memorantur (13, 55.).

τὸν υἱὸν αὐτῆς] filium illum suum i. e. sine Josepho, sine ullo marito, vi Sp. div. conceptum.

De tota hac narratione statuunt

1) Alii, nativitatem Christi ex opinionibus antiquissimorum hominum judicandam esse (παρθενογενεῖς.). Sic Indi Buddam e latere virginis; Graeci Minervam e capite Jovis; Romani Romulum ac Remum Ilia virgine et Marte satos, Sabaei Johannem B. ex solo patris Zachariae osculo ab Elisabetha conceptum esse etc. opinati sunt.

2) Alii, fuisse opinionem Judaeorum, fore, ut Messias patrem haberet Spiritum divinum et matrem virginem. Igitur accommodasse sese Matthaeum ad hoc Judaeorum commentum, ne diceretur, Jesum non omnes Messiae habuisse numeros.

3) Alii, esse vaticinium post eventum factum, ut Jesu origo congrueret cum V. T. oraculis tunc temporis allegorice intellectis.

4) Alii, mythum inesse sacrum, quo natales Christi illustraret evangelista.

5) Alii, Josephum revera fuisse Jesu patrem.

Quum, inquit de Wettius, relationes Matthaei ac Lucae (ille ante conceptionem, hic post eam angelum apparuisse narrat,) sibi e diametro repugnent; neque Johannes, quamquam matri Salvatoris familiarissimus erat, quidquam hac de re retulerit, neque Mariae hac de re persuasum fuerit (dubitat enim de divinis filii consiliis, 12, 46. Marc. 3, 21. 31 sqq.); porro quum aequales Christi Josephum pro vero ejus patre habuerint (13, 55. Luc. 4, 22. Joh. 1, 46. 6, 47.); tum ipsi apostoli huic opinioni non repugnaverint (Joh. 6, 42.) originemque Christi ab ipsis patribus, quemadmodum etiam pars Ebionitarum, repetierint, et ex opinione illorum temporum concubitus non sine peccato fieri potuerit similesque antiquitatis opiniones de origine magnorum virorum invaluerint: apostolos factum hoc legibus naturae exemisse iisque multo sublimius proposuisse. Fidei igitur christianae in eo acquiescendum est: Christus, si morum integritatem sanctitatemque spectas, originem suam debet πνεύματι ἁγιωσύνης (Rom. 1, 4.).

Ut dicamus, quod rei est, videtur Matthaeus et iis, qui originem Messiae a Davide, et iis qui originem ejus ab ipso Deo tunc temporis repetere solebant, satisfacere voluisse idque eodem fere modo, quo a Paulo (Rom. 1, 3. 4.) factum esse videmus. Assentimur Livio, qui 1, 4. dicit: „datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia — — augustiora faciat."

Magi ex Oriente per Hierosolyma veniunt Bethlehemum.

Cap. II, 1—12.

vs. 1. ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας] distinguendum ab alio ejusdem nominis oppido in Galilaea inferiore (Jos. 19, 15.), in tribu Sebulonitarum.

ἐν ἡμέραις Ἡρ. τ. βασ.] Ἡρώδου βασιλεύοντος.

Herodes, Idumaea oriundus, filius Antipatri, cognomine Magnus, per Julium Caesarem principi Judaeorum Hyrcano II. additus est procuratoris nomine; tum cum Phasaelo fratre ab Antonio tetrarchae titulo et dignitate ornatus a. 41. ante Chr. N. Sed, quum Antigonus, filius Aristobuli, partim opera Judaeorum partim Parthorum Judaeam occupasset, Herodes Romam confugit, ubi per Antonium rex Judaeorum salutatus est. Reversus inde Antigonum devicit, Hierosolyma occupavit (a. 37. ante Chr. N.), Maccabaeorum familiam exstinxit et ab Octavio, pugna ad Actium pugnata, in regno suo confirmatus templum Hierosolymitanum exornavit, plura oppida condidit, cum magna Judaeorum exacerbatione ludos quinquennales Caesari habuit, theatra et gymnasia Hierosolymis exstruxit, Mariamnen uxorem cum filiis Alexandro et Aristobulo necavit. Mortuus est a. 2. post. Chr. N.

In usum dogmaticum ex mente de Wettii p. 26. haec tenenda sunt: pericula, quae Jesu recens nato imminent, sunt quasi typus persecutionum calamitatumque, quae Messiam manent ejusque ecclesiam.

Eodem modo Moses recens natus in summo versatur vitae discrimine. Ejusmodi periculis etiam Romulus, Cyrus, Semiramis, Krischna (incarnatio quaedam Wischnu) expositi fuisse feruntur.

cf. *Bauerus*, *Hebr. Mythologie. vol.* 1. *p.* 267 *sq.*
Straussius, *Leben Jesu. vol.* 1. *p.* 249 *sqq.*

Quaeritur, utrum haec duo evangelii Matthaei capita genuina sint nec ne. Videamus potiora quae in utramque partem dicta sunt:

1) Genealogia apud Matthaeum cum Lucae pugnat. — At inde sequitur non nisi hoc, quae in utraque sibi repugnare videntur, ab interpretibus nondum prorsus soluta esse aut solvi non posse.

2) Luc. 1, 26—38. nullo modo cum iis quae Matth. 1, 18—22. continentur, possunt componi. — At Matthaei 1, 20—22. relata potius faciunt, ut pervideamus, quomodo, omnibus dubiis Josepho exemtis, Maria fiduciae plena ad Elisabetham iter facere potuerit.

3) Quae Lucas refert, ita sese habent, ut neque adventus Magorum neque fuga in Aegyptum locum habuerit. — At nisi verbis nimis inhaeres, fieri certe potuit, ut peracto καθαρισμῷ parentes Christi in Aegyptum confugerint ac deinde migraverint Nazaretham.

4) Haud probabile est, caedem puerorum Bethlehemiticorum factam esse per Herodem, praesertim quum Josephus aliique antiquitatis scriptores nihil hac de re narraverint. — At primum e silentio nihil potest colligi; tum constat, ut jam diximus, Herodem vel in consanguineos fuisse crudelissimum, et, quum tam multa crudeliter facta edidisset, caedes paucorum puerorum sine dubio clam perpetrata scriptores antiquos facile fugere potuit.

5) Matthaeus Josephum potius in Judaea quam in Galilaea sedem suam habentem descripsit. — At si rem sine opinionibus praeconceptis consideras, maximum utriusque hac in re perspicies consensum.

6) Ex ipsa indole naturaque eorum quae de adventu Magorum referuntur, patet, totam narrationem fictam esse merasque continere nugas. — At si omnia ex opinionibus moribusque illorum temporum judicas, certe, fieri potuisse, non negabis.

7) Utraque genealogia in vetustissimis Msptis et apud patres antiquissimos deest. — At legitur certe in aliquot Codicibus antiquissimis; in omnibus versionibus antiquissimis exstat; patres antiquissimi, ut Justinus M., Irenaeus, Tatianus disertis verbis eam commemorant et jam Julius Africanus, quamquam nec unus nec primus, quae in utraque sibi repugnare videntur, expedire ac tollere studuit.

Praeterea argumentum utriusque et exordio rerum narratarum et fini, quem in scribendo Matthaeus et Lucas habuerunt, aptissimum est; nexus rerum v. c. Matth. 4, 13. respicit ad 2, 23. et 3, 1. ἐν δὲ ἐκείναις ἡμέραις ad praecedentia, idemque efflagitat eadem apud utrumque dicendi ratio, eadem verborum structura et mos fata Messiae e V. T. oraculis probandi.

Impugnarunt duo priora evangelii Matthaei capita:

Williamus Anglus, Strothius (Eichhornius, *Repert.* vol. 9. p. 99.), Hessius (*Biblioth. d. heil Gesch.* vol. 1. p. 208.), et utramque genealogiam subtiliter Schleiermacherus (*Ueber die Schriften des Lucas, ein kritischer Versuch.* vol. 1. p. 42.)

Defenderunt contra Flemmingius ac Velthusenius in Anglia; in Germania Henkius, Ravius, inpr. Griesbachius, Hugius (*Einl. ins N. T.* p. 265.) (ed. 3.), Gersdorfius et Fritzschius (in Excursu ad Matth. p. 849 sqq.).

Μάγοι] 1) hoc nomine apud Persas (apud Aegyptios sacerdotes, apud Indos gymnosophistae, apud Graecos philosophi, apud Gallos Druidae, vel incantatores apud Judaeos Act. 13, 6.,) ornabantur sacerdotes, sapientes, philosophi i. e. homines rerum divinarum et humanarum periti, qui regibus Persarum erant a consiliis in republica administranda, magnaque insignes auctoritate (Cic. de divin. 1, 23.);

2) rerum naturae perscrutatores, qui astrologiae, arti medicae, incantationibus navabant operam, quorum hominum genus longe lateque erat dispersum — — Chaldaei.

cf. Hydius, De religione veterum Persarum. p. 372.

Quaesiverunt interpretes

1) unde venerint Hierosolyma. Alii, e Persia, sede Magorum; alii, e Babylonia; alii, e Mesopotamia; alii, e Parthia; alii, ex Arabia (quod e donis allatis colligere voluerunt.) etc.

2) de numero eorum; tres fuisse, quod e tribus, quae attulerunt, donis colligendum sit. Sic Pontificii, qui vel nomina eorum sciunt: Caspar, Melchior, Baltasar.

3) de dignitate eorum; reges eos fuisse, quod in locis V. T. (Jes. 49, 7. Ps. 72, 10.) dicitur, honorem habitum iri Messiae ab exteris regibus.

cf. *Thiessius, Ueber die Magier u. ihren Stern. Hamb.* 1790. Ejusd. Comm. Vol. 2. p. 348.

ἀπὸ ἀνατολῶν] male Camero, de Wettius al. ref. ad *Μάγοι*; tunc scribendum fuisset: *οἱ ἀπὸ ἀνατολῶν.*

vs. 2. *Ποῦ ἐστιν ὁ. τ. β. τ. Ἰ.*] concise dictum pro: ubinam est rex Judaeorum? natum eum esse exploratum habemus; nam vidimus etc. Sic jam Bengelius l. l.

αὐτοῦ τὸν ἀστέρα] stella, quae natales ejus portendit. Alii cogitant de stella nondum visa: alii de meteoro ignito; alii de angelo; alii de cometa; alii de stella tunc demum a Deo creata.

ἐν τῇ ἀνατολῇ] plerique, etiam de Wettius, referunt ad *εἴδομεν* h. m. vidimus stellam ejus in plaga orientali. At nil refert, utrum in oriente viderint nec ne, modo

viderint. Quare recte jam Hammondus: vidimus stellam ejus orientem i. e. ex ortu ac splendore ejus conjecimus, natum esse regem Judaeorum.

vs. 3. ἐταράχθη etc.] Herodes terrore percussus est, nempe timens de imperio: sed cur Hierosolymitani, quos potius gaudio perfundi consentaneum erat? alii, ut Strigelius: Herodes metuit populum offensum sua crudelitate et rapinis; populus tristiorem servitutem. Alii, ob calamitates ipsis inde imminentes rerumque mutationes; alii, ut Kuinoelius, sub Hierosolymitanis intelligunt et amicos Herodis, quos cura de salute hujus tyranni angebat; et inimicos, qui tumultum, bella calamitosaque ante Messiae adventum tempora timebant; Schoettgen. Hor. hebr. t. 2. p. 512.; alii, ut Chrysost., Theophylact., Euthymius Zigaben., quia Judaei nesciebant, num felicitatis Messianae forent participes. At vero ταράσσεσθαι dic. de gravioribus animi commotionibus in universum, utrum gaudio an timore, semper e nexu est conjiciendum. hl: re nova perturbati. Subito etiam rei bonae nuntio homines percelli solent. Bengel. l. l. p. 25.

vs. 4. τ. ἀρχιερεῖς κ. γραμματεῖς] cf. Clavem Wahlii sub his vocc.

πάντας] non omnes synedrii assessores, ut haud pauci crediderunt, verum quoscunque in populo (τοῦ λαοῦ) doctos viros cognoverat. Grotius, Fritzschius. De Wettius universum synedrium extraordinario modo esse convocatum.

ποῦ γεννᾶται] Glassius, ubi Christus nasci deberet?

Casaubonus i. q. μέλλει γεννᾶσθαι, ubi futurum esset, ut nasceretur.

Fischerus (de Vitiis p. 550.) futurum Medii significatione futuri Passivi esse statuit.

hl. quaesivit ex iis, ubi Messias nascatur, *wo der Geburtsort des Messias sei.* Sic Bengelius, Fritzschius.

vs. 5. ἐν Βηθλεέμ] cf. 7, 42. Erat opinio Judaeorum, Messiam non solum e gente Davidica, verum etiam eodem in loco esse oriturum.

διὰ τοῦ προφ.] Mich. 5, 1., ubi aurea aetas describitur.

vs. 6. γῆ Ἰούδα] Alii, ut Eichhornius (*Einl. ins N. T. t. 1. p. 482.*), vitium esse interpretis graeci (pro: γῆς Ἰούδα), qui perperam intellexerit verba hebr. אֶרֶץ יְהוּדָה.

Alii, ut Venema (Hist. eccles. t. 3. p. 12.), esse glossam nostro loco illatam.

Alii, ut Wassenbergius (Diss. de glossis N. T. etc. t. 1. p. 27.), γῆν explicant tribum.

Alii, ut Olearius, Kypkius, Schleusnerus, γῆν h. l. significare i. q. πόλιν s. κώμην, more Alexandrinorum, qui עִיר saepius reddiderint γῆν et אֶרֶץ contra πόλιν. At jam Gesenius (in Comment. in Jes.) observavit, graecos V. T. interpretes haud semel pro lubitu vertisse.

Alii, recte: terrae portio ei tribui assignata, ut Grotius, vel ut Fritzschius: terra i. e. pars terrae cui superstructum erat Bethlehemum.

ἐν τοῖς ἡγεμόσιν] (alii pro בְּאַלְפֵי leg. esse censent בְּאַלֻּפֵי i. e. in principibus) aut hoc modo interpungendum: *καὶ σὺ, Βηθλ., γῆς Ἰουδαίας* (sic enim aliquot mss. exhibent) *οὐδαμῶς ἐλαχίστη, εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν* h. s. et tu, Bethlehemum, nequaquam minima agri Judaei pars, es in primariis Judae viris; aut legendum est: *ἐν ταῖς ἡγεμόσιν*, h. s. tu, Bethlehemum, Judaeae regio, nequaquam minima es in primariis familiarum in Judaea sedibus. Fritzschius.

Alii, ut Stolzius, *ἐν τοῖς ἡγ.* i. q. *in den Augen??*

Alii, ut Grotius: tune, Bethlehemum, minima sis in censu familiarum tribus Judae? Imo vero ex te originem sumturus est Messias.

Caeterum in l. Michae et nostro Matthaei videtur inesse *ἐναντιοφανεια*. Micha enim dicit: tu, Bethlehemum, nimis parvum es oppidulum, quam quod in mille hominum familiis i. e. primariis oppidis haberi possis. Matthaeus contra *οὐδαμῶς ἐλαχίστη*. Res hoc modo expedienda est: quamquam Micha Bethlehemum oppidulum nominaverat, tamen Messiam inde proditurum esse erat vaticinatus. Hanc ipsam igitur ob caussam Matthaeus colligit, *οὐδαμῶς εἶναι ἐλαχίστην ἐν ταῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα.* (cf. Erasmus ad h. l.) De Wettius censet difficultatem tolli eo, quod verba hebraica verti possint: quamquam parvum es etc.

ποιμανεῖ] cui non in mentem veniunt *ποίμενες λαῶν* apud Homerum?

λάθρα] alii, ut animos eorum sibi conciliaret; alii, ne res in vulgus emanaret; alii, ne ipse sibi timere videretur; alii, quia jam tum puerum neci destinaverat.

vs. 7. ἠκρίβωσε] alii interpr. *ἀκριβῶς ἐξήτασε*; alii, *ἀκριβῶς ἔμαθεν*, diligenter didicit. Erasmus. cf. vs. 26.

τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου] minime i. q. *φανέντος*; hoc esset: quum stella illa illuxisset; h. l. innuitur, stellam illam etiamnum splendere.

vs. 8. πέμψας αὐτοὺς—εἶπε] non, ut Kunoelius: jussit eos proficisci, quoniam homines peregrini imperio Herodis non suberant, neque, ut Grotius, Albertus: prosequendos eos

curavit (pro προπέμπειν), sed: auctor iis fuit, ut profecti B. rem accuratius explorarent.

vs. 9. ἐν τῇ ἀνατολῇ] in ortu s. orientem, ut antea.

προῆγεν αὐτούς] minime cum Lessio, Paulo, Kunoelio, Suskindio (in symbol. vol. 1. p. 10.) aliisque: stella quae eos antecesserat, — quasi Magis in tota via ab Hierosolymis nusquam apparuerit, usque dum domum, ubi erat recens natus Messias, intrarent; quod quum praeter spem accidisset, vehementer laetati sint.

hl. Stella, cujus ortum oculis usurpaverant, dux eos antecessit usque dum subsiteret super loco, quo erat puer.

ἐπάνω οὗ] utrum οἴκου, an τόπου an σπηλαίου supplendum sit, non quaerendum est; semper e nexu est repetendum. Jesum in spelunca natum esse, est fabula e LXX. Jes. 33, 16. orta.

Caeterum abesse debent ab hoc loco curiosae illae quaestiones: quomodo stella illa Magos antecedere, inprimis a septentrione versus meridiem? quomodo super loco, ubi erat puer, consistere? quomodo Magis locum, ubi Messias erat, indicare potuerit? utrum consuetum sidus, an insolitum et hunc in finem a Deo creatum sit? utrum vel interdiu luce sua splendere potuerit? etc. Etenim Matthaeus celebrare voluit natales Servatoris.

vs. 11. εἰς τὴν οἰκίαν] illam, quam petebant domum.

τοὺς θησαυρούς] i. e. ἀποθήκας, in quibus thesauri servabantur. De donis ipsis vid. Lexica. Caeterum ex his de patria Magorum nihil sequi, jam diximus.

vs. 12. χρηματίζεσθαι] divinitus admoneri, quod fieri potest quovis signo et quovis tempore. Matthaeus igitur, ut accuratius loqueretur, addidit: κατ' ὄναρ.

εἰς τὴν χώραν αὐτῶν] unde venerint, ipse Matthaeus non indicavit: aut nescivit aut indicare noluit.

Jam antiquitus senserunt interpretes ad unum fere omnes, multas magnasque in hac de Magis narratione inesse difficultates; nam quaeritur:

a. Primum, unde Magi scire potuerint, Messiam natum esse? Alii: erat divulgatum per totum orientem, esse in fatis, ut Judaei rerum potirentur (Sueton. Vespas. 4. Tacit. Annal. 5, 13. Joseph. B. J. 1, 5, 5. 7, 31.). Alii per astrologiam; sed haec ars est admodum fallax fraudisque plena. Igitur statuendum esset, casu fortuito verum vidisse Magos. At in rerum natura non datur casus fortuitus.

b. Tum, quid erat quod Magos moveret, ut e terris longe remotis Bethlehemum contenderent ad venerandum Messiam?

Num, ut oculos hominum in eum converterent? At id alio modo melius Deoque dignius fieri poterat. Nonne hac ratione Messias in summum vitae discrimen vocatus et infantes Bethlehemitici per crudelissimum tyrannum necati sunt? Num etiam hoc modo providentia div., quae in summis rerum angustiis saluti Messiae prospexit, in luce collocatur?

c. Porro, quomodo sidus illud Magos ab Hierosolymis deducere poterat Bethlehemum, ubi cursum suum tenens a septentrione versus meridiem? Num fas est, statuere, aeternas, quibus sidera reguntur, leges a Deo aliquamdiu esse sublatas, ut Magi proficiscerentur?

d. Deinde estne verisimile, opera Magorum usum esse Herodem? fidem habuisse arti fallaci? Cur Messiam a Magis Bethlehemi investigari voluit? Cur non potius, tempore, quo Messias natus esse Magis videbatur, comperto, statim per satellites suos eum interficiendum curavit?

e. Huc accedit, quod ea quae Matthaeus refert repugnare videntur iis quae Luc. 2, 22. leguntur. Si Magi advenerunt, antequam Jesus in templo sisteretur a parentibus (ut Storrius in diss. exeget. in ll. N. T. historic. aliquot locos, vol. 2. p. 1 sqq.), id fieri non potuit, quoniam aut Josephus in Aegyptum aufugere aut Hierosolyma proficisci non potuit; sin autem advenerunt, postquam a parentibus in templo esset sublatus (ut Hessius in l. *Geschichte der drei letzten Lebensjahre Jesu*, vol. 1. p. 51., Paulus l. l., Michaelis l. l., Kunoelius al.), iterum fieri non potuit, quoniam ejus parentes, relictis Hierosolymis, non Bethlehemum, sed Nazaretham se contulisse dicuntur.

Fortasse dicet aliquis: Matthaeus aut opinionem Judaeorum, quibus persuasum erat, natales Messiae in terris orientalibus sidus quoddam indicaturum esse, in usum suum convertit; aut, ut vaticinium quoddam V. T. (Jes. 60, 6.), ex quo homines e remotissimis terris Messiam salutatum venirent, ratum factum esse probaret, rem enarravit; aut famam, quae ore hominum ferebatur, secutus est, ut sacra christiana Judaeis commendaret. At regerunt adversarii: in nullum evangelistam cadere debet accommodatio positiva. Igitur statuendum est

aut miraculum divinitus factum esse, quamquam justam ejus caussam non perspexeris;

aut, Matthaeum, quae audiverat, sive vera sive falsa, retulisse atque exornasse, ut Judaeos ad castra chr. permoveret;

aut totum hunc locum esse spurium, quod nonnulli contendunt.

Ex nostra sententia homo quisque et aetas quaevis ex suo ingenio suisque moribus judicanda est. Videtur Matthaeus, ut Judaeos ad sacra chr. perduceret, ab omni fraude alienus, non nisi summa ductus pietate erga Deum et Christum ea quae ipse audiverat retulisse et pro virili exornasse. Quemadmodum enim antiquitas, quippe astrologiae dedita, natales magnorum virorum, ut Mithridatis (Justin. Hist. 37, 2.), Alexandri Severi (Lamprid. Vit. A. S. c. 13.), Abrahami (Jalkut Rubeni f. 32, 3. apud Wetsten.) ortu sideris cujusdam illustratos esse credidit (quod etiam in morte magnorum virorum factum est, ut Caesaris (Suet. Vit. Caes. c. 88.), Germanici (Senec. q. N. 1, 1.) etc.): sic etiam natales Messiae (Testament. 12. patr. ed. Fabr. I. p. 184., Schoettgen. 2, 531., Bertholdt. Christ. §. 121.) insignes fore opinabantur, quo multum contulisse videtur l. Num. 24, 17. Porro haud pauca Prophetarum oracula regnum Messiae non solum ad exteras gentes pertinere, verum etiam has gentes aurea aetate Hierosolyma profecturas donaque allaturas esse (Jes. 60, 3. Ps. 72, 10.) cecinisse videbantur. Utrumque igitur secundum Matthaeum eventu comprobatum est.

cf. Kunoelius ad h. l. et de Wettius p. 19.
Thiessius, Ueber die Magier und ihren Stern.
de Ammonius, Bibl. Theol. vol. 3. p. 281.
Lilienthalius, Die gute Sache der göttlichen Offenbarung u. s. w. vol. 5. p. 272.

Josephus cum Jesu profugus in Aegyptum. Caedes puerorum Bethlehemiticorum.

Cap. II, 13—23.

vs. 13. φαίνεται] per Praesens res quasi oculis subjicitur; ig. non i. q. ἐφάνη.

παράλαβε] παρά ex mente Fritzschii tutelam fidelemque recipientis curam adsignificat; nobis simpliciter: assumere, adjungere sibi.

ἴσθι ἐκεῖ] Euthym. Zigaben. οἴκει, διάτριβε.

ἕως ἂν εἴπω σοι] usque nova tibi mandata dedero; alii: usque tibi dixero, redeundum esse in patriam; alii: dum tibi dixero, non amplius ibi esse degendum.

ζητεῖν] simpliciter est quaerere; utrum hostili animo nec ne, aliunde debet patere.

τοῦ ἀπολέσαι αὐτό] non subintell. ἕνεκα — more Hebraeorum, qui ל ponant, sed innuitur consilium, quasi dictum esset: μέλλει ζήτησιν ποιεῖσθαι τοῦ ἀπολέσαι αὐτό.

cf. *Bornemannus, Bibl. exeget. Repertorium von Rosenmüller.* vol. 2. p. 294 sq.
Fritzschius in Excursu 2 ad Matth. p. 843 sq.
Wineri Gramm. p. 268.

vs. 14. ἕως τῆς τελευτῆς] Herodes M. a. imperii 37. mortuus est.

vs. 15. προφήτου] Hoseas, 11, 1., ubi Deus filium suum i. e. populum Judaicum ex Aegypto vocasse dicitur. Alio sensu igitur auctor rem ad Messiam transfert.

Cur igitur in Aegyptum aufugit? Paulus Heidelb. statuit, Matthaeum cavere voluisse, ne Judaei offenderentur, Messiam aliquamdiu in terra latuisse gentili. Alii, quia Herodi M. non subdita et a Bethlehemo haud longe remota erat, ita, ut Josepho biduum ad iter conficiendum sufficeret, et Judaei plures ibi inhabitabant urbes, v. c. Heliopolin, Alexandriam. etc.

Minime quaerendum est de loco, ubi refugium habuerit Josephus (alii tradiderunt, Matareae; alii Hermopoli), neque quamdiu (alii tres menses; alii tres annos etc.) ibi manserit, quae omnia incerta sunt; nam videtur Matthaeus e traditione ore facta hausisse et fugam Josephi in Aegyptum e loco Hoseae, quem Judaei tunc temporis de Messia interpretabantur, ad Christum translato probare voluisse.

vs. 16. τότε] i. e. quum Magi, si voluissent, ad Herodem potuissent reverti.

ἀπὸ διετοῦς (neque Neutrum est neque χρόνου, sed παιδὸς ex antecedenti τοὺς παῖδας supplendum,) καὶ κατωτέρω] a bimulo et inferioris aetatis, *von einem zweijährigen und weiter hinab.* Fritzschius.

κατὰ τὸν χρόνον] inde non sequitur, Jesum bimulum fuisse, sed, ut Messias certissime ex Herodis opinione periret, etiam eos qui nondum hanc aetatem attigerant necavit.

Dubitarunt haud pauci de hac puerorum Bethlehemiticorum nece; primum quia neque Josephus neque rabbinici scriptores tam atrox ac singulare facinus silentio prorsus praetermiserint; deinde quia Macrobius, qui in Saturnal. 2, 4. dicit: „Quum audisset (Augustus) inter pueros, quos in Syria Herodes rex inter bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: melius est Herodis porcum (ὗν) esse quam filium (υἱόν),“ — nullius sit fidei, quippe qui sec. demum 4. vivens sine dubio hanc Matthaei narrationem cum illo loco Josephi (Antiqq. 17, 7.) de Antipatro filio interfecto miscuerit totamque rem aut e Matthaeo aut ex vulgi fama hauserit. Quae quum ita sint, nisi concedere velis Matthaeum ficta et falsa hic illic proferre, judicandum est, Josephum hanc caedem, inter reliqua crudelissimi tyranni atrociter facta fugisse idque eo facilius, quia perpauci, decem vel duodecim ejus aetatis pueri, fuisse videntur.

cf. Wetstenius ad h. l.
Eichhornius, Allgem. Bibl. d. bibl. Lit. vol. 2. p. 357.
Vossius, Chronol. S. p. 159. „Post tot crudelitatis exempla ab Herode Hierosolymis et tota passim Judaea edita, post sublatos diversis suppliciis tot filios, tot uxores, proximos et amicos, non magna res fuisse videtur, sustulisse quoque unius oppidi aut vici et adhaerentis territorii infantes, quorum strages in loco perexiguo haud admodum magna esse potuit, cum non omnes, sed mares tantum et qui intra bimatum essent fuerint caesi."
Michaelis l. l. p. 21.
Storrius, Diss. in ll. N. T. hist. aliquot locos p. 2. p. 8.
Vollborthus, Diss. inquiritur in caussas, cur Josephus caedem puerorum Bethlehemiticorum Matth. 2, 15. narratam silentio praeterierit. Gotting. 1788.
Meyerus, Versuch einer Vertheidigung u. Erläuterung der Gesch. Jesu u. d. Apostel aus Profanscribenten. p. 183.
Eckermannus (qui pueros illos veneno necatos esse opinatur), *Erklärung aller dunkeln Stellen des N. T.* p. 8.

Vs. 17. τότε] sc. quum pueri illi Bethlehemitici necarentur.

ὑπὸ Ἰερεμίου] qui c. 31, 15 sqq. Rahelem, Benjaminis matrem, quasi ab inferis excitatam lugentem facit fortunam nepotum, qui per Ramam, tribus Benjaminiticae oppidum, abducti erant in exsilium Babylonicum. Haec noster ad h. l. accommodat.

Alii legunt ὑπό, alii διὰ Ἱερεμ.; utrumque recte, attamen hoc discrimine: si ὑπό, tum innuitur, illa verba a Jeremia prolata esse; si διά, tum significatur, Deo auctore, vir div. imbutum Jeremiam esse locutum.

Vs. 18. θρῆνος κ. κλαυθμὸς κ. ὀδυρμὸς πολύς] lamentatio et ejulatio luctusque multus; plura posuit, ut gravitas luctus indicaretur.

Caeterum auctor et ab Hebraico et a versione Alex. recessit; forsitan memoriter h. l. allegavit.

κλαίουσα] (sc. audita est, ἠκούσθη) minime i. q. ἔκλαυσε, ut de Wettius, sed deplorans i. e. quum deploraret liberos suos.

καὶ οὐκ ἤθελε παρακλ.] alii, ut Schleusnerus, Palaeretus, οὐκ ἠδύνατο. hl. noluit solatium admittere, more eorum qui calamitates haud ferendas sibi ferre videntur.

ὅτι οὐκ εἰσί] non opus est subintelligere: λέγουσα, ὅτι οὐκ. hl. quoniam non sunt amplius.

Caeterum alii, ut Wetstenius, Michaëlis, Bengelius (in Gnom.), Kuinoelius, de Wettius, contendunt, Matthaeum ipsam Rahelem quasi e mortuis evocatam posteros suos i. e. Bethlehemiticos infantes, quos suos putaverit (τὰ τέκνα αὐτῆς), quia sepulta sit inter Ramam et Bethlehemum (Gen. 35, 19.), lugentem introduxisse.

Alii, ut Theophylactus, Fritzschius, quod Jeremias de Rahele cecinerit, id ratum factum esse tempore Messiano (πληρωθῆναι), quod, ut Rahel olim abductos in exsilium, sic Bethlehemiticae matres occisos liberos luxerint.

vs. 20. πορεύου] proficisere, non: revertere.

τεθνήκασι] cur pluralis?

Alii: est pluralis majestaticus, quia Herodes rex erat (Fischerus)??

Alii: Matthaeus in mente habuit l. Exod. 4, 19. ob similitudinem Christi cum Mose (??). Gratzius.

Alii: quia praeter Herodem plures fuerint insidiatores. hl. in universum de hominum, qui Jesu insidiabantur, genere dictum puta a Matthaeo: Fritzschius, Winerus p. 149. al.

vs. 22. Post obitum Herodis M. regnum inter tres ejus filios sic est divisum, ut Archelaus Judaeam, Idumaeam et Samariam, ut ἐθνάρχης: Antipas Galilaeam et Peraeam, ut τετράρχης, et Philippus Batanaeam, Trachonitidem et Auranitidem obtineret eodem τετράρχου titulo. Archelaus (teste Josepho, Antiqq. 17, 15.) anno imperii decimo ab Augusto ob crudeliter facta Viennam in Gallia in exsilium missus est. Joseph. Antiqq. 17, 11. 4. 13, 2.

βασιλεύει] pr. non erat rex, sed tetrarcha.

ἐκεῖ] (ex celeritate cogitandi) abire, ut ibi sis.

εἰς τά μέρη τ. Γαλ.] in partes, quas habet Galilaea. Antipas mitior erat.

vs. 23. καὶ ἐλθὼν κατ. κτλ.] conjunge ἐλθὼν εἰς πόλιν λεγ. Ναζ., postquam venerat in urbem N., (ibi) habitavit. Winerus et Fritzschius.

Nazaretha, urbs Galilaeae inferioris, haud procul a Capharnaumo, duodecim circiter milliaria a monte Thabor, sita erat in regione amoenissima, altissimis cincta montibus.

ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται] Haec formula in V. T. non legitur quamquam Bucerus, Heumannus h. v. sibi invenisse videbantur in l. Judic. 13, 5. (quem l. Judic. per plures prophetas compositum esse perhibent). Hinc

alii (Chrysost., Theophyl., Euthymius Zigab., Gratzius), Matthaeum aut ad librum quendam V. T., qui injuria temporum perierit, aut ad apocryphum respexisse statuerunt.

Alii (Kunoelius, Paulus, Gersdorfius,) διὰ τῶν προφητῶν, de pluribus V. T. prophetarumque locis,

quae fata Messiae canant, ut Ps. 22. Jes. 53. etc. accipiendum esse docuerunt et Nazoraeum h. l. significare hominem vilis conditionis, infimo loco positum, quoniam Galilaei et praecipue Nazarethani Judaeis fuerint contemtui (cf. Joh. 1, 47. 7, 52.).

Alii (**Erasmus**, **Grotius**, **Wetstenius**), Naz. significare i. q. נָזִיר = *Ναζιραῖος*, h. m. ut eventu comprobetur, eum Nasiraeum fore. At in moribus vitaque Christi nulla deprehenditur cum Nasiraeis similitudo.

Alii (**Hieronymus**, **Fritzschius**), esse i. q. נֵצֶר (Jes. 11, 2. quem locum tunc temporis ad Messiam retulerunt,) h. sens. venisse Josephum Nazaretham, ut secundum oracula prophetarum *Ναζωραῖος*, surculus = Messias vocaretur.

Alii totum implementum in allegoria etymi Nazaret inesse statuunt; id autem esse נזר i. e. regii capitis insigne. **Hillero** interprete, נזרת est oppidum, quo vertex montis coronatur. Quasi Germanice dicas: *Zu Kronberg hat der Gekrönte gewohnt.* cf. **Bengelii** Gn. p. 29 sq.

Jesus et a Johanne et baptismum subiens divinitus declaratur Messias.

Cap. III, 1—17.

vs. 1. *ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις*] Excepto **Paulo**, qui haud pauca in subsidiis suis de vita Baptistae Matthaeum omisisse, et **Schneckenburgero**, qui Nostrum definitam quidem, sed falsam in Evangelio *καθ' Ἑβραίους* (quod in brevius contraxerit,) formulam cum hac minus definita permutavisse statuit:

alii, ut **Kunoelius**, postea;

alii, ut **Euthymius**, *τὸν καιρὸν ἐκεῖνον, ἐν ᾧ γέγονεν ἃ διηγήσασθαι βούλεται*;

alii, ut **Susk.**, **Fritzsch.**, illo, quo domicilium suum Nazarethae habebat, tempore, interpretantur;

alii, ut **de Wettius**, more hebraeorum historicorum, quum tempus accuratius definire aut non potuerit aut noluerit, Nostrum hac formula quae intervallo triginta annorum disjuncta fuerint conjunxisse censent. cf. Exod. 2, 11. ubi a pueritia Mosis statim ad adultam ejus aetatem transgreditur auctor. cf. **de Wettius** p. 30.

δὲ] in nonnullis Mspt. deest, quod primum in evangelistariis factum videtur.

παραγίνεται — κηρύσσων] neque est (ut **Kuinoelius**) i. q. *ἐκήρυξεν*; neque: ut praedicaret (ut **Vatablus**); nam sequitur *λέγων*; neque: auctoritate quasi publica proclamare jussus (ut **Jensius**); neque: adest docetque ita (ut **Fritzschius**), sed: **prodiit alta voce, idque hunc in modum docens**: — *sein Thema war*.

ἐν τῇ ἐρήμῳ] in loco deserto i. e. incolis, oppidis non frequentato, sed pascuis apto. hl. desertum illud quod haud procul ab Hierosolymis, ab urbe Thecoa incipit et usque ad mare mortuum pertinet — מִדְבַּר יְהוּדָה.

vs. 2. *ἤγγικε*] alii (**Zegerus**) appropinquabit; alii (**Casaubonus**, **Kuinoelius**) appropinquat; alii (recte!) adest.

ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν vel *οὐρανοῦ* vel *τοῦ θεοῦ* vel *τοῦ χριστοῦ* vel etiam absolute *ἡ βασιλεία* in N. T. neque imperium Dei simpliciter, neque doctrinam de regno div. s. religionem christianam neque propagationem sacrorum Christianorum, neque coetum s. ecclesiam christianam sive visibilem sive invisibilem, neque tempus quo inaugurabitur regnum divinum etc. significat, sed regnum illud sub Dei auspiciis per Christum inaugurandum = regnum Messianum, in quo summa beatitudo percipitur.

De origine spei de regno Messiano haec tenenda esse videntur. Inde a tempore Davidis vates sacri V. T. de aurea quadam aetate cecinerant, ac de rege quodam e gente Davidica fortitudine, justitia, sapientia, pietate quam maxime insigni, qui hostibus Judaeorum devictis et regno maximo splendidissimo ac in perpetuum duraturo condito, populum Judaicum omnibus bonis omnique felicitate cumularet, sacrisque emendatis cultum Jehovae ubique propagaret.

Quam spem de regno Messiano quum prophetae in animis suorum diu aluissent et ad calamitates fortiter subeundas ac perferendas per eam excitassent, Judaei Christi Apostolorumque aetate pro varia ingenii, morum imaginationisque indole statuque reipublicae interno atque externo in alia omnia abiisse videntur.

Vulgus Judaeorum exspectabat, fore, ut Messias, hostibus suis, Romanis inprimis, reliquisque gentibus longe lateque subactis, maximum idque terrenum (mille tantum annos duraturum) conderet regnum, mortuos in vitam revocaret, improbos i. e. gentiles, et vivos et mortuos, ab inferis excitatos, solemni judicio ad aeternam in geenna mortem condemnaret, pios autem i. e. omnes Abrahami posteros, populum *ἅγιον*, veros Dei filios in regno amplissimo atque augustissimo omni felicitate omnibusque voluptatibus ornaret.

Sapientiores autem Judaeorum, etsi terrenam felicitatem, liberationem ab hostibus regnique illius splendorem minime respuerent, potius sacrorum morumque emendationem, peccatorum

expiationem fructusque pietatis uberrimos, pios quosvis sive e Judaeis sive e Gentilibus sacra Judaeorum secutis ad beatitudinem regni Messiani perventuros esse, impios autem quosvis ab ea prohibitos detrusum iri in geennam solemni illo ac universo judicio, sperasse videntur.

Jam vero Christus multo sublimiorem de regno Messiano notionem vel speciem sibi informaverat. Profitetur se divinitus missum esse, non ut regnum conderet terrestre, sed coeleste, divinum. Ambitum ejus, qui latissime patet, si respicis: totum genus humanum complectitur omnesque naturas homine superiores quae in universo mundo versantur. Si ejus indolem; supremam quam jubet legem, summum quod ratum fieri vult ac debet bonum, non oculis cernitur, sed mente continetur et animo (Luc. 17, 21.); credere jubet esse Deum, numen omnibus numeris absolutum, creatorem conservatorem ac gubernatorem omnium rerum, non ritibus quibusdam externis, sed mente, recte factis ac veritati convenienter colendum; esse liberam hominum voluntatem, veram virtutem pietatemque expetendam, animos esse immortales. Hoc regnum ad unum omnes perducere studet ad summam sapientiam virtutem et pietatem, ut vita potiantur beata. Hinc necessario sequitur, eos tantum veros hujus regni esse cives, qui rerum divinarum, quam largitur, cognitionem sibi comparant, vitam suam ad Dei, O. M. voluntatem componunt et satisfaciunt legibus divinis; qui secus sentiunt atque agunt, ad regnum Messianum non pertinent et spe beatitudinis et in hac et futura vita excidunt. Diuturnitatem ejus si respicis: in aeterna durat tempora. Est quidem necessitudo quaedam regni divini cum rebus visibilibus, sed universus mundus qui oculis usurpatur et quaecunque eo continentur, (igitur etiam calamitates omnes omniaque mala vitae terrenae,), tantum mundo qui non in oculos incurrit inserviunt, ut ratum fiat summum bonum s. vita beata (Matth. 6, 33. 10, 28.), et aliquando perit; sed regnum coeleste nunquam perit neque cives ejus unquam pereunt; nam summum, quod appetunt, bonum nullo unquam tempore consummatum erit, sed perpetuo consummabile. Post mortem autem, uti jam in hac vita terrena, omnibus subeundum est judicium extremum, quo Deus benignissimus et justissimus in ipso animo humano sententiam fert (Joh. 5, 28 sq.), ut malus quivis justis afficiatur poenis et, si in perpetuum peccat, aeternis; bonus autem quivis debitis ornatus praemiis, et, si in virtute expetenda pergit, aeternis. At vero ad hanc vitam beatam ii tantum pertingere s. regni Messiani participes fieri possunt, qui Jesum Christum verissimum voluntatis divinae interpretem, summum virtutis et pietatis exemplar, optimum ducem et servatorem totius generis humani, Dei in his terris vicarium esse sibi persuasum habent, profitentur ac sequuntur, qui instituto ecclesiae quam condidit et quae optima quaeque instrumenta exhibet (in quo spiritus divinus semper efficax est,) ad vitam beatam excitandam, alendam,

attingendam absolvendamque recte utuntur omnibusque viribus, vel vitae corporis prodigi ad hanc regni Messiani beatitudinem enituntur.

Haec nobis vera Christi de regno Messiano fuisse videtur idea, quam et ipse et discipuli ejus variis involucris, imaginibus, coloribus, dicendi formulis tunc temporis usitatis, haud semel oratorio dicendi genere et accommodate ad opiniones popularium suorum adumbrarunt quidem, sed ita, ut, quaecunque pro suo quisque ingenio dixerit, sive tres priores evangelistas, sive Paulum sive Johannem respicias, vera tamen illa idea perpetuo eadem maneat ac luce satis superque illustretur.

Longum esset, hanc rem e singulis N. T. locis probare, quare, qui plura cognoscere cupit, vid.

Knappii Diss. de usu vaticiniorum ad Messiam pertinentium in Opusc. T. 1. p. 1. sqq.
Von den Messian. Zeiten, in l. Eichhornii: Allgem. Bibl. der bibl. Literatur. vol. 6. p. 597.
Kuinoelii l. Messianische Weissagungen des A. T. Lips. 1792.
Koppii Excurs. 2. ad epp. ad Thessal. p. 113 sqq.
Lightfooti Hor. Hebr. ad Joh. 3, 17. et Schoettgenii diss. de regno coelorum in app. ad Hor. Hebr. vol. 1. p. 1147 sqq.
Bertholdti Christolog. p. 26 sqq.
Keilii historia dogmatis de regno Messiae, Christi et Apostolorum aetate. Lips. 1781, et in Opusc. academ. p. 22 sqq.
Storrii diss. de notione regni coelestis, in Opusc. acad. vol. 1. p. 253 sqq.
Flatti de notione vocis *βασιλεία τῶν οὐρανῶν* in Comm. a Velthusenio, Kuinoelio et Rupertio editis. Vol. 2. p. 421 sqq.
Eckermanni theolog. Beiträge. vol. 2. p. 67.
Doederlinii Institut. theol. christ. p. 743.
Seileri diss. de regni Messiani vera natura in Opusc. vol. 1. p. 105 sqq.
Poelitzii diss. de gravissimis theologiae seriorum Judaeorum decretis. Lips. 1794.
Baueri diss. de causis quibus nititur rectum super notione regni divini in N. T. passim obvia judicium. Lips. 1810.
Fleckii liber de regno divino. Lips. 1830.
Fritzschii Comm. ad h. l. p. 109 sqq.
Kuinoelii Comm. p. 47 sqq.
Schmidt-Phiseldeckii diss. de morali societate Christi sub typo regni coelorum adumbrata. Hannov. 1704.
Bellenstedtii Das Messiasreich als Dichtung u. als Grundlage des ewigen Reichs der Wahrheit. Götting. 1812.

Inprimis autem conferendus est Boehmius de discrimine doctrinae Christi Apostolorumque in libellis illis:

Die Religion Jesu Christi aus ihren Urkunden dargestellt etc. Hal. 1825.
Die Religion der Apostel etc. ibid.

vs. 3. *οὗτος γάρ ἐστιν*] Ex mente Fritzschii sunt verba Johannis B.; si Matthaei essent, sine dubio omisisset *γάρ*, posuisset *ἦν*, et vs. demum 4 auctor se de Baptista loqui indicat. Cur non posuit: *ἐγὼ γάρ εἰμι* etc.? Quia major

inest vis in verbis: οὗτος etc. i. e. nam hic est ille qui oculis vatis sacri obversatus est, quum diceret etc. Alii, ut de Wettius, verba Matthaei esse judicant.

ὑπὸ Ἡσ.] (al. leg. διά,) cf. Jes. 40, 3., ubi Jehovae cum populo suo e peregrinis, ubi per exsilium fuerant, terris in patriam mox redeunti via muniri jubetur. Haec Noster transtulit ad Johannem, ut opinioni Judaeorum, quorum alii Mosen, alii Eliam, alii Jeremiam, alii Jesaiam ab inferis excitatum ante Messiae adventum in terram rediturum esse (Maleach. 3, 1 sqq.) sperabant, responderet. hl. Johannes viam quasi munit ad Messiam, vicarium Dei, rite excipiendum.

ἐν τῇ ἐρήμῳ] in Jesaiae vaticinio pertinet ad ἑτοιμάσατε; in Matthaeo ad φωνὴ βοῶντος.

ἑτοιμάσατε etc.] hl. mores mutando in melius componite vos ad Messiam eo quo par est modo excipiendum.

vs. 4. τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ] i. e. vestimentum quo indutus erat; non, αὐτοῦ, id esset suum, non alius hominis vestimentum. Sine ulla caussa Fritzschius Stolzium pessime reddidisse dicit h. m. *er hatte ein Kleid — das Kleid, das er anhatte, war* etc.

ἀπὸ τριχῶν καμήλου] non patet, utrum Baptista pelle camelina (quae tamen nimis gravis fuisset) an veste e pilis camelorum confecta indutus fuerit. Ejusmodi vestimentis uti solebant homines morum severitate insignes et olim (1 Regg. 19, 13. 2 Regg. 1, 8. Zach. 13, 4. Matth. 7, 15.) et etiamnum in Oriente.

cf. **Lüdeckius**, *Erläuterung einiger Schriftst. a. d. Orient.* p. 53.
Harmarus, *Beobacht.* vol. 3. p. 374.

περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ] i. e. circa illum lumbum, quo gestare solebat. Non quaerendum est, utrum alterum tantum an utrumque lumbum cinxerit cingulo coriaceo.

ἀκρίδες] Alii somniarunt de herbis quibusdam vel aviculis vel piscibus in Jordane captis vel scillis (καρίδες). hl. proprie de locustis, quarum usus ipsa lege Mosaica (Levit. 11, 22.) erat sancitus et quibus etiamnum pauperes Orientalium uti solent.

cf. Plin. hist. nat. vol. 6, 30.
Hieronym. ad Jovin. 2, 6.
Rosenmullerus, *Altes u. Neues Morgenl.* 5, 7 sqq.
Paulus, Comment. ad h. l. **Niebuhrius**, *Beschr. praef.* p. 37.

μέλι ἄγριον] Alii (ut Bochartus, Hieroz. 2, 4.) mel quod apes in ipso solo aut cavis arboribus reponere solent. hl. quod e frondibus arborum quarundam herbisque promanare solet et induratum ab Orientalibus colligitur.

Descripsit igitur Matthaeus Johannem virum morum severitate conspicuum, a vita elegantiore et luxuriosa quam maxime alienum, qui tenui et vestimento et victu satis superque significaverit, quid ipse sentiret, et quid alii ut sentirent vellet.

vs. 5. ἐξεπορεύετο] exibat ad Johannem Hierosolyma (Hierosolymitani), tota Judaea (omnes Judaei) et universa quae Jordani adjacet regio (כִּכַּר הַיַּרְדֵּן) i. e. quotquot in utraque Jordanis ripa, Judaea, Peraea, Gaulanitide, Samaria, Galilaea habitabant homines. Inest exaggeratio sententiae.

vs. 6. ἐβαπτίζοντο] non adspergendo, sed totum corpus submergendo, quod e l. Rom. 6, 3. et antiquissimis literarum de hoc ritu monumentis constat.

ἐξομολογούμενοι] alii, ut Loesnerus in Observatt., i. q. ὁμολογούμενοι; alii recte, aperte (ἐξ), palam, i. e. ingenue (ut jam Heumannus, Bengelius l. l. p. 32.), se peccatores profitentes. Non cogitandum est de singulorum peccatorum enumeratione, ut theologus quidam, confessionem auricularem jam tempore Johannis baptistae, quid quod jam Adami et Evae in paradiso usitatam fuisse, halucinatus est.

vs. 7. ἰδὼν δὲ κτλ.] suppressa est haec sententia: efflagitabat quidem (μέν) Johannes, ut, antequam ad sacram lotionem admitterentur homines, se peccatores profiterentur, Pharisaeos autem et Sadducaeos non nisi moribus eorum perversis gravissime perstrinctis sacra lotione imbuit.

πολλοὺς τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων] Pharisaei (a voce פָּרַשׁ, ἀφωρισμένοι), ad quos plebs, mulieres et maxima pars assessorum synedrii pertinebant, praeter libros V. T. traditiones (παραδόσεις) a patribus acceptas, quae ritus quosdam externos tanquam necessaria virtutis instrumenta efflagitabant, pro norma vivendi habebant; legem Mosaicam ad verbum interpretantes mordicus tenebant et praecepta rituum sacrorum legibus morum recte formandorum praeferebant; fatum quoddam, salva tamen hominum libertate, immortalitatem animorum, resurrectionem corporis, judicium extremum, angelos bonos et malos et Satanam esse credebant. Priore tempore honesti, justi, pii fuisse videntur, seriore autem tempore nitebantur in vetitum, simulabant pietatem et suos aliorumque corrumpebant mores. (cf. Luc. 18, 12. Matth. 7, 4. 23, 5. 14. 26, 5. Josephi Antiqq. I. 18, 1. I. 13, 10. I. 13, 24. 17, 2.)

Sadducaei (qui nomen traxere a צַדִּיק, aut, quod minus verisimile est, a Zadocko quodam, auctore hujus sectae, qui discipulus Antiochi Sochaei et Baithi fuisse fertur,) omnibus traditionibus rejectis in sola lege Mosaica et

libris V. T. canonicis acquiescebant; angelos et Satanam, immortalitatem animorum, resurrectionem corporis, quid quod ipsum hominis animum, judicium extremum et fatum (providentiam fortasse etiam, quae cum summa, quam contendebant, hominum libertate ipsis non congruere videretur,) esse negabant. Insignes fuisse dicuntur morum severitate multosque asseclas habuisse inter nobiliores et ditiores.

Utraque secta post exsilium Babylonicum orta esse videtur.

cf. *Michaelis, Mos. Recht. vol. 4. §. 301.*

Poelitzius, diss. de gravissimis theologiae seriorum Judaeorum decretis. Lips. 1794.

Ejusd. Pragmatische Uebersicht der Theologie der spätern Juden. vol. 1. Lips. 1795.

Stäudlinius, Geschichte der Sittenl. Jesu etc.

Knappius, Ueber die Pharisäer u. Sadducäer in l. Hallische wöchentl. Anzeigen a. 1785. No. 8—14.

Bretschneiderus, Systemat. Darstellung der Dogmatik u. Moral der apocryphischen Schriften des A. T. vol. 1. Lips. 1805.

Winerus, Bibl. Realwörterbuch sub his vocibus.

ἐπὶ τὸ βάπτισμα αὐτοῦ] alii, (Olearius) contra i. e. ut Baptismo Johannis repugnarent. At nihil in seqq. hac de re a Matthaeo indicatur. — Rectius alii, eo consilio, ut imbuerentur.

γεννήματα ἐχιδνῶν] viperina progenies i. e. homines astutiae, fraudis animique maligni pleni.

τίς ὑπέδειξεν κτλ.] quis vobis subdidit (ὑπό hl. non urgendum est: alii clanculum admonuit; alii clandestinis vos seduxit consiliis). hl. quis vobis persuasit, vos effugere i. e. posse vos effugere iram Dei (pr. ab ira (ὑπό), quasi fugiendo removere) venturam = poenas div. nullo modo evitandas.

vs. 8. *οὖν*] neque redundat, (ut Kuinoelius) neque significat jam vero, sed, quemadmodum ubique, igitur. Sententiae ita sese excipiunt: Quis vobis persuasit etc. i. e. nemo vobis persuasit et ego vobis, homines nequissimi, aperte dico, vos nullo modo poenas div. posse effugere, nisi ad meliorem mentem redieritis. Nam morum in melius mutatio est conditio, sine qua non. Quae quum ita sint — *οὖν* — igitur.

καρποὺς] defendit Fritzschius, primum, quia illi homines plura mutati animi signa edere debebant; tum, quod Graeci et Latini saepe usurpaverint Pluralem, ubi sufficiebat Singularis, ut paupertates, *πλοῦτοι* et similia. At Griesbachius codicum plurimorum et optimorum auctoritate motus videtur recte *καρπὸν* retinuisse; nam vocab. *καρπός* non comparari potest cum vocab. *πλοῦτοι*, paupertates, quippe quae in Plurali minus usitata sunt: tum,

quum Graeci et Latini ejusmodi vocibus usi sunt, certa aderat causa, v. c. ut oratorie dicerent, et animos auditorum percellerent.

vs. 9. *μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς*] Alii (Elsnerus): ne videamini cogitare i. e. ne ita vos gerite, ut mihi aliisque suspicionem moveatis, ideo vos omnem emendatioris vitae curam abjicere, quod cogitetis, Abrahami vos esse posteros. — Haec interpretatio absona est.

Alii (Euthymius Zigaben., Grotius) i. q. *μὴ θέλητε*, ne lubeat vobis dicere.

Alii (Bosius), ne pulcrum, gloriosum ducite.

Alii (Wolfius) *δοκεῖν* hl. abundare; i. q. *μὴ λέγητε*.

Alii, (ut Bengelius in Gnom.) potestis quidem aliquo modo ita dicere, sed ea re non debetis vobis placere.

hl. (Paulus) nolite putare (sp. fas esse) apud animum vestrum dicere (mens quasi ad semetipsam verba facit,) = nolite cogitare i. e. abjicite perversam illam mentem.

πατέρα ἔχομεν τ. Ἀβρ.] Somniabant enim Judaei, se hanc ipsam ob causam, quod originem suam debebant Abrahamo, judicium extremum, cui non nisi pagani (*οἱ ἄδικοι, ἄθεοι*) obnoxii forent, minime esse subituros neque cum his impiis detrusum iri in geennam. Ad hanc Judaeorum vanitatem, quae successu temporis magis etiam aucta est, illustrandam facit l. Bereschit R. dixit R. Levi: „futuro aevo sedet Abrahamus juxta portas gehennae nec permittit ullum circumcisum eo descendere. Iis autem, qui peccarunt ultra modum, quid faciet? Restituit illis praeputium et descendunt. (cf. Matth. 22, 32. Joh. 8, 33 — 53.) Capitul. R. Elieser c. 29. „die expiationis circumcisus est Abrahamus et singulis annis adspicit summe benedictus sanguinem foederis Abr. patris nostri et expiat omnia nostra peccata.

Sens. l. n. Nolite opinari, vos, progeniem Abrahami, immunes esse a poenis div.; abjicite hanc impiam vanamque mentem! dico enim vobis, Deum, numen potentissimum, vobis exstinctis, posse vel ex hisce (in ripa Jordanis vel Jordane) lapidibus aliam i. e. genuinam Abrahamo creare progeniem.

vs. 10. Nolite autem opinari, procul abesse judicium numinis supremi poenasque div., verum credite mihi.

ἤδη κεῖται] jam admota est securis ad arborum radicem i. e. jam vos, Pharisaei, in eo estis ut justas luatis poenas.

ἤδη δὲ καὶ] Plurimi, ut Kuinoelius, Palaeretus, Wolfius al., non nisi nugas protulerunt partim vertendo *ἤδη δὲ καὶ* quin etiam, verum etiam; partim opinando, Matthaeum solere ejusmodi cumulare voculas; partim cre-

dendo *καί*, ut alibi, abundare vel significare adeo, vel, *sogar*. Singula sic exponas: Sed (*δέ*) i. e. quae antea dixi vera sunt (np. vos nullo modo effugere posse poenas div. et posse Deum alios Abrahamo creare posteros,) et (*καί*), (quod gravissimum est,) jam haud procul abesse a cervicibus vestris pestem certissimam.

πᾶν οὖν] *οὖν*, igitur, non abundat; quoniam securis jam admota est, ergo: vel rectius: quaecunque arbor sterilis exciditur ignique traditur; ergo etiam vos, Pharisaei, similes sterili arbori, etc.

ἐκκόπτ. κ. βάλλ.] neque pro futuro neque pro *δεῖ ἐκκ. κ. βάλλ.*; est locus communis.

vs. 11. *βαπτίζω — ἐν ὕδατι*] per aquam i. e. ita, ut aquam adhibeas: *ὕδατι* i. e. simpliciter: aqua.

ὁ ἐρχόμενος] minime i. q. *ἐλευσόμενος*, sed: qui jam in eo est ut veniat = qui post me sacra lotione homines imbuit, is (*ἰσχυρ.*) me potentior, sublimior est potentia, dignitate, efficacia, *ὅστις βαπτίσει ὑμᾶς οὐκ ἐν ὕδατι, ἀλλὰ ἐν πν. ἁγ. κ. πυρί.*

οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδ. βαστ.], h. m. si me cum Messia contendere velim, nullo fere numero mihi esse videor.

αὐτὸς ὑμᾶς] is ipse, non alius neque ego Johannes.

ἐν πν. ἁγ. κ. πυρί] Alii: imbuit vos Sp. s. et quidem igne (???).

Alii: (per *ἓν διὰ δυοῖν*) imbuet vos sp. div., qui est ignis, s. quasi igne.

Alii *πῦρ* retulerunt ad effusionem Sp. div., qui festo Pentecostes apostolos occupavit.

Alii ad omnes christianos quorum animos vis illa div. permeat, calefacit et stimulos quasi addit.

Alii *πν. ἅγ.* ad accuratam rerum div. cognitionem aut singularem virtutem, quae Christo debetur aut ad utrumque; *πῦρ* autem ad ignes, quibus urbs Hierosolymorum tempore excidii conflagravit.

Alii, ut Boltenius, h. m. is, vi div. adjutus, gravissima vos poena afficiet.

Alii: imbuet vos (i. e. quicunque ei morem gerere volunt) Spiritu div., quo ad beatitudinem Messianam pertingatis, et (quicunque ei morem gerere nolunt) igni np. geennae (alii gravissimis poenis afficiet.). Schottus, diss. in l. Matth. 3, 7—12. Jen. 1814. Kuinoelius et Fritzschius ad h. l.

Nexus autem sententiarum est hic: Nisi ad meliorem frugem quam primum redieritis, gravissimae poenae et certissima

vos manet pernicies. Equidem Johannes, praecursor Messiae, nullis vos afficiam poenis, sed qui proxime abest, Messias. Huic enim divinitus data est provincia, ut et beet homines et damnet. Eandem sententiam apertius et gravius etiam eloquitur B. his verbis:

vs. 12. οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ] non male Grotius existimat haec more Hebraeorum dicta esse: sed noli cum Storrio et Kunoelio opinari οὗ abundare. hl. cujus est ventilabrum np. in manu ejus. Fritzschius.

τὴν ἅλωνα] Alii (Schleusnerus, Wahlius, Bretschneiderus, Kunoelius): frumentum in area purgabit.

Alii, ut Zegerus, Camero, Fritzschius: aream ipsam purgabit, hoc modo, ut frumentum in horreum congerat, stipulam autem tradat flammis = pios quosque beatitudine, impios quosque summis afficiet poenis.

Notum est, Orientales et olim et hodie sub dio triturare ac purgare frumentum.

cf. *Paulsen, Vom Ackerbau der Morgenländer. p.* 141.

Apud omnes fere antiquitatis populos, inprimis orientales, lustrationes sacrae erant in usu; etiam apud Judaeos (Num. 19, 7. Gen. 35, 2.), praecipue Essenos. Quaeritur igitur, utrum Johannes B. hunc ritum primus introduxerit an ex proselytorum baptismo mutuatus sit? Alii mutuatum eum statuerunt, his de caussis:

1) in multis rabbinorum scriptis, ubi sermo est de proselytis, mentio fit baptismi et etiamnum proselyti a Judaeis lotione sacra imbuuntur.

2) minime probabile est, Judaeos, perpetuo in Christianos flagrantes odio ab his hunc ritum esse mutuatos.

3) Johannis baptismus non tanquam res nova atque inaudita a Judaeis consideratur, qui tantummodo quaerunt ex eo, qua auctoritate eum administret. Joh. 1, 24.

4) In versione l. Matthaei 23, 15. Aethyopica haec leguntur: „ut baptizetis unum peregrinum et, cum baptizatus fuerit, adaptetis eum magis quam vos gehennae.“

5) In gentilibus ad sacra Judaeorum recipiendis semper tria locum habebant: circumcisio, sacrificium, baptismus. Jam vero sacrificia tantum offerri poterant templo Hierosolymitano adhuc stante; hinc jure quodam colligitur, etiam baptismum ante templi excidium jam receptum fuisse.

6) Judaeorum proselyti βεβαμμένοι dicuntur.

Fuerunt in hac sententia

Lightfootus ad h. l.

Wetstenius ad h. l.

Danzius, in Meuschen, N. T. ex Talmude illustr. p. 233.

Zieglerus, theol. Abhandl. vol. 2. p. 132.

Eisenlohrius, historische Bemerkungen über die Taufe. Tubing. 1804.

Jahnius, bibl. Archäologie. vol. 3, p. 209.

Zimmermannus, de baptismi origine et usu hodierno. Gotting. 1815.

Kuinoelius et Fritzschius ad h. l.

Alii baptismum proselytorum multo serius invaluisse statuerunt:

1) Philo, Josephus, Mischna, targum Onkelos., Justinus M. in dial. c. Tryph. nihil hac de re enarrant nec nisi in serioribus Judaeorum scriptis hic ritus memoratur.

2) Loca talmudica et rabbinica de hoc baptismo prorsus ambiguam fundunt sententiam.

3) Videtur post excidium Hierosolymorum a Pharisaeis introductus esse.

4) Ex eo quod Judaei in baptismo Johannis minime, tanquam in re inaudita, offendunt, nihil potest concludi, quia Evangelistae in ejusmodi rebus brevitati student.

5) Eodem vel potiori jure possit contendi, Johannem B. in hoc ritu introducendo etiam lotiones sacras secundum legem Mosaicam vel lotionem apud Ezechiel. 16, 9. 20, 10. vel hemerobaptistas (i. e. homines qui tunc temporis quotidiana lotione fluminea ad majorem vitae sanctitatem adspirabant;) vel Essenos, qui similem exercebant ritum, esse secutum.

cf. Wernsdorfius, diss. recentiores de baptismo controversiae. Viteb. 1722.

Ernestius, opusc. academ. vol. 2. p. 255.

Gablerus, Journal f. theol. Lit. vol. 3. *p.* 436.

Paulus, Comment. vol. 1. p. 282.

Mediam viam ingressus est:

Bengelius, Ueber das Alter der jüdischen Proselytentaufe. Tubing. 1814.

Idem in li Archiv f. d. Theol. 1818. *vol.* 2. *p.* 740.

de Wettius haec habet: *Die Taufe des Johannes war nicht eine Modification der Proselytentaufe, die damals noch nicht existirte, sondern schloss sich an die Waschungsgebräuche des israelitischen Cultus und die Erwartung einer messianischen Lustration* (Ezech. 36, 25.) *an.*

Caeterum Johannes baptismum (semel tantum in singulis hominibus) exercuit, ut animos hominum ad Messiam rite excipiendum praepararet, minime ut eos ad regnum div. ipsum admitteret.

vs. 13. τότε] tunc temporis, quo Johannes homines sacra lotione in Messiam mox proditurum imbueret ejusque dignitatem laudibus efferret, Nazareta, ubi habitabat, accessit ad eum Jesus.

vs. 14. διεκώλυεν] vehementer, obnixe prohibuit i. e. prohibere eum studuit.

ἐγὼ χρείαν ἔχω] Alii (Gratzius) statuunt, Johannem in votis habuisse, ut a Jesu spiritu div. imbueretur.

Alii (Kunoelius): tibi potius quam mihi Messiae praeconis partes agendae sunt.

Alii (Grotius): si alter nostrum omnino baptizandus sit, ego potius abs te, ut dignissimo, baptismum petere debui. — Etenim is qui ad aliquem, ut baptismum subeat, accedit, eo ipso significat, se esse inferiorem; illum autem, qui baptismum exercet, superiorem. Sic etiam Bengelius in Gnom. ad h. l.

vs. 15. ἄφες] Alii mente addunt με: admitte me ad baptismum, ut Kunoelius.

Alii: sine nunc, ut Erasmus.

ἄρτι] Alii: jam vero (?).

Alii: quaeso, δή, נָא (?).

Alii: noli nunc quaerere, uter major minorve sit. hl. sine paulisper, *erlaube einmal!*

πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην] Alii sub δικαιοσ. vel ritum sacrum ipsum intelligunt, i. q. δικαίωμα, institutum laudabile, vel quaecunque ad justitiam i. e. pietatem pertinent.

Alii h. m. quidquid utriusque nostrum officium efflagitat, s. ab utroque fieri par est. Sens. Sine omni mora (οὕτω) ambo officio nostro satisfaciamus; equidem, ut baptismo imbuar; tu vero, ut baptismum in me peragas. Fritzschius.

de Wettius (ἡμῖν communicative): *Uns, die wir das Reich Gottes herbeiführen wollen, ziemt, uns Allem zu unterwerfen, was zur Gerechtigkeit dient, nicht nur dem Gesetze und dessen Gebräuchen, sondern auch diesem (von den Propheten angedeuteten, zur Vorbereitung auf das Gesetz (?) nöthigen) Reinigungsgebrauche.*

vs. 16. εὐθύς] Alii, ut Grotius, ad sequentia referunt h. m. vix ascenderat ex aqua, quum coelum aperiretur = confestim coelum apertum est.

Alii, ad βαπτισθείς h. m. tergiversatione Johannis a Jesu victa statim lotione sacra imbutus est. Fritzschius.

Fortasse h. m. Et baptizatus Jesus emersit, statim — et, ecce! coelum etc. *Das Heraufsteigen aus dem Wasser und das Sichöffnen des Himmels war Eins.*

Alii (Gratzius) graecum Matthaei syro-chaldaici interpretem rem male tractasse opinantur.

ἀνεῴχϑ.] Alii de igne; alii de fulmine, tanquam signo praesentiae div.; alii de coelo revera scisso accipiunt. Ezechiel. 1, 1. Joh. 1, 52. hl. coelum in Jesu gratiam (αὐτῷ) (alii, ut Bleckius, de Wettius: ei i. e. Johanni,) apertum est, ut Spiritus div. inde delabi posset. Videtur Matthaeus sententiam: Jesum Messiam vi div. in baptismo revera divinitus imbutum esse ad opiniones tunc temporis describere et quasi ante oculos ponere voluisse.

καὶ εἶδε] Alii ad Johannem ref.; alii ad Jesum, quia hoc in loco subjectum est; e locis parallelis nil effici potest et αὐτόν (quod alii sine caussa in αὑτόν mutare volunt) non obstat.

ὡςεὶ περιστεράν] Alii, ut de Wettius, specie columbae; alii (Olshausenius), columbam puritatis symbolum esse; alii velocitate columbae; nam tertium comparationis cernitur in modo quo Sp. div. delapsus est; columbae autem ab antiquis laudantur a velocitate (quamquam etiam a puritate et receptaculo Spiritus div.).

Alia lectio est: εἶδε τὸ πν. τ. ϑ. ἐρχ. ἐπ' αὐτόν, καταβαῖνον ὡςεὶ περιστεράν.

ἐπ' αὐτόν] hl. recte ἐπί de motu e superiore in l. inferiorem; igitur non i. q. εἰς vel πρός.

vs. 17. φωνή] neque ἐγένετο neque ἦν subintell., neque λέγουσα est i. q. ἔλεγεν; nam in voce ἰδού jam inest: adest (Fritzschius).

Alii de tonitru, quo ex mente Hebraeorum voluntas Dei significatur — בַּת קוֹל. Solebant inde antiqui in negotiis suis tractandis omen capere. Ps. 29, 3. Joh. 12, 28 sq.

Alii (ut Fritzschius) de voce articulata divinitus emissa. Somniabant multa gentiles et Judaei; sed quaeritur, num in Matthaeum ejusmodi opinio vel accommodatio cadat.

ἀγαπητός κτλ.] non est: unicus, μονογενής, sed: dilectus, hl. quo delectari soleo.

Matthaeus hl. (13—17.) probavit, Jesum esse Messiam, quoniam in sacra lotione per Johannem Spiritu divino imbutus sit. Videtur Noster opinionem, fore, ut Messias spiritu instrueretur divino, respexisse (Jes. 11, 2.). — Etiamsi non credis, Jesum nunc demum vi div. esse imbutum, tamen concedendum est, vim illam div. ab hoc temporis momento in Jesu fuisse efficacissimam. Id quod jam a natalibus in Salvatore inerat, hic tanquam novi quid divinitus accessisse dicitur.

Jesus a diabolo tentatur.
Cap. IV, 1—11.

vs. 1. *τότε*] **Alii**: quum baptizatus esset; **alii**: quum spiritu div. imbutus esset. Recte.

ἀνήχθη] **Alii** i. q. *ἤγετο*. Male. **Alii** *ὑπὸ τοῦ πν.* de Satana, qui Jesum per aërem in desertum egerit. Pessime. **Alii**: e loco inferiore (ripa Jordanis) = sursum ductus est (non, ut Paulus: sui ipsius animi impetu, sed) a Spiritu div. **Grotius**.

πειρασθῆναι] **Kuinoel**. h. m. ita factum est, ut diabolus ad peccandum eum sollicitaret. hl. eo consilio, ut etc.

εἰς τὴν ἔρημον] Plerique intell. desertum Quarantaniae haud procul ab Hierichunte et tribus fere milliaribus distans ab Hierosolymis per montana protensum Bethelis. Certe primi Christiani Jesum in hoc inculto horridoque loco per 40 dies fuisse crediderunt. Sed quum Matthaeus rem non diserte enarravit, videtur potius de eodem, quod antea nominavit, deserto inter Hierosolyma et mare mortuum hl. cogitandum esse.

Maundrell in l. **Paulus**, *Sammlung v. Reisebeschreib.* vol. 1. p. 100.

Hasselquist, *Reise nach Paläst.* p. 149.

ὑπὸ τ. διαβ.] pr. a calumniatore — צַר et צוֹרֵר, שָׂטָן, אַשְׁמְדַי (Tob. 3, 8.) סַמָּאֵל, malorum geniorum principe, qui homines apud Deum accusat. (Inde ab exsilio Babylonico regnum lucis et tenebrarum; boni et mali genii et in N. T. regnum Christi et diaboli occurrunt sibique opponuntur.) Quidquid in rerum natura mali est, a malo efficitur daemone.

vs. 2. *νηστεύσας*] **Alii**: cibis consuetis non usus est, sed herbis, cordicibus, melle sylvestri h. m. post 40 dies consuetorum i. e. coctorum alimentorum desiderio flagravit. At *ἐπείνασε* semper significat: esuriit, famem sensit.

Alii: per 40 dies ab omni cibo abstinuit, quod inest in verbis et respondet mori Hebraeorum, in jejuniis ab omni cibo abstinere.

Caeterum probabile est, jejunium Christi cum Mosis (Deuter. 9, 9.) et Eliae (1 Reg. 19, 6.) comparatum esse.

Quaesiverunt adeo theologi, utrum hoc Christi jejunium pro lege et exemplo Christianis imitando habendum sit.

cf. **Kornerus**, jejunium Christi nec legem nec exemplum propositum. Lips. 1776.

Keilius, de exemplo Christi recte imitando. Lips. 1792.

vs. 3. εἰ υἱὸς εἶ τ. θ.] Alii, ut **Grotius**, **Bengelius**, **Wolfius**, censent, dubitasse Satanam de dignitate Jesu Messiana, quia dixerit: εἰ υἱός, non: εἰ ὁ υἱός; verum potuit haec vox in consuetudinem abire ita, ut simpliciter Messiam designaret; tum etiam hoc modo explicari potest: si tu es e numero eorum (et novi, te esse praecipuum Dei filium), qui filii Dei dicuntur.

εἰπὲ, ἵνα] Alii: jube hos lapides panes fieri. Ad sensum recte, ad leges grammaticas male. hl. dic, impera (eo consilio), ut hi lapides in panes convertantur. Sic jam **Calvinus**, **Fritzschius** al. **Stolzius**: *sprich ein Machtwort, damit* etc.

vs. 4. γέγρ.] Deutr. 8, 3. ubi, multis Jehovae memoratis beneficiis, scriptor h. m. pergit: dedit tibi Jehova mannam, quem cibum neque tu neque majores tui norunt, ut tibi monstraret, non solo pane, sed quavis re, jussu Dei creata, (vel potius: quovis Dei mandato) sustentari posse vitam hominis.

ζῆν ἐπὶ τινί] pr. vivere ea conditione, ut aliquid habeas. hl. sustentari pane; de **Wettius**: *auf etwas leben* (ἐπί, *von der Basis*)?

ὁ ἄνθρωπος] Alii i. q. ἄνθρωπος i. e. τις.

Alii i. q. quivis homo. Recte.

Alii de homine quodam insigni, i. e. Messia, ut **Fritzschius**.

ἐπὶ π. ῥήματι] Alii, de re quacunque; alii de mandato div. accipiunt. Sensum constituere

Kuinoelius h. m. non a cibis consuetis vita hominis pendet, sed a voluntate Dei; Deus me quoque potest aliis rebus, alio modo vivum conservare, neque necesse est, ut lapides in cibos mutem.

Fritzschius: frustra inepto consilio Messiam transversum agere conaris; is enim ab hac vanitate alienissimus est, quem literae sacrae non solo pane, sed etiam omni mandato div. peragendo vitam toleraturum h. e. non solum panem appetiturum, ut corpus alat, sed etiam div. voluntati, a qua tuum consilium abhorret, obsecuturum, promittant.

de **Wettius**: homo, si consueta desunt alimenta, per Deum O. M. extraordinario modo vivus conservari potest.

Aliis denique sensus est hic: quivis homo non ea vivit conditione, ut solo pane fruatur (i. e. corpus alatur); sed ut cuivis legi div. satisfaciat = vera vita s. supremus vitae humanae finis non in corpore, sed animo ex lege div. alendo cernitur.

vs. 5. τότε] Alii: post temporis intervallum. hl. quum primo illo artificio nil profecisset. Matthaeus enim tria Satanae deinceps exponit artificia.

ἡ ἁγία πόλις] i. e. Hierosolyma, sedes sacrorum et templi. Simili modo Graeci urbes a Diis conditas vel cultu sacrorum celebratas ἱεράς vocarunt.

ἵστησιν] i. e. auctor ei fuit, ut fastigium templi adscenderet. Sed quodnam fastigium? Alii (Olearius, Wolfius, Wetstenius, Kunoelius, Winerus) intell. porticum regiae quae austrum spectabat, unde in vallem profundissimam patebat prospectus.

Alii (Schleusnerus, Krebsius, Paulus, Fritzschius) intell. fastigium templi Hierosolymitani. Patebat ad hoc templi fastigium aditus (quod multi frustra negarunt,), unde Judaei Romanos urbem obsidentes missilibus petebant et Jacobum inde dejecerunt. At incertum est, utrum fastigium templi an porticus Salomonis hl. intelligenda sit.

vs. 6. βάλε] (non leg. βάλλε,) conjice te deorsum! quia momento temporis fieri debebat.

γέγραπται] Ps. 91, 11. 12. Sensus ibi est hic: noli timere tu, qui pietati studes; nam ex omnibus rerum angustiis tuus te provida cura Deus eripiet. Ex mente autem Satanae hic: demonstra, te esse Messiam, eo, ut de summo templi fastigio te deorsum conjicias; nam Messiam id sine ullo periculo facere posse, in ll. ss. perscriptum est.

τοῖς ἀγγέλ.] hl. innuit providam Dei curam, quae ex opinione Hebraeorum non ipsi Deo, sed ejus ministris tribuitur.

μήποτε] ne forte, quod fieri tamen possit. (Grotius, Fritzschius.)

vs. 7. πάλιν γέγρ.] Deutr. 6, 16. Exod. 17, 2. Alii (Albertus, Casaubonus): contra vero = εἰς τὸ ἐναντίον. At tunc probasset Christus perversam psalmi interpretationem.

Alii πάλιν nectunt cum ἔφη (Erasmus).

Alii: alio in loco sp. legitur contrarium ejus, quod tu Psalmo illi intulisti. Scultetus, Delit. Evang. c. 30. Fritzschius.

οὐκ ἐκπειράσεις] non i. q. imperativus, sed inest haec vis: non puto, te exploraturum esse Deum. *Du wirst doch Gott nicht versuchen!*

vs. 8. εἰς ὄρος] Alii de monte Tabore; alii de Pisga; alii de Libano; alii de Sione; alii de Moria; alii de Nebone etc. cogitarunt; at Matthaeus ipse rem dubiam reliquit.

δεικνύειν] Alii: verbis et oratione describere; at id etiam fieri poterat in planitie, cur Jesum in peraltum montem duxisset?

Alii: digito monstrare. Quomodo id fieri potuerit, in re miraculosa non est mirum.

τοῦ κόσμου] Alii, (ut Bosius, Fischerus, Loesnerus, Kunoelius) intell. Palaestinam et *πάσας τὰς βασιλείας* refer. ad singulas Palaestinae partes, Idumaeam, Samariam, Galilaeam, Peraeam, Bataneam, Auranitidem et Trachonitidem, contendentes, *τ. κόσμον* et *τὴν οἰκουμένην* haud semel significare partem mundi vel potius orbis terrarum. At id nullo modo fieri potest, certe tunc demum, ubi nexus rerum id efflagitat. hl. proprie accipiendum est.

τὴν δόξαν αὐτῶν] hl. ornamenta quaevis, ut urbium amplitudinem, ubertatem agrorum, hominum frequentiam, divitias etc.

vs. 9. Sensum hujus commatis sic capiunt

Alii: dabo tibi omnia, ubi in genua provolutus ea a me flagitaveris.

Alii: ubi regnum Messianum ex mea, Satanae, voluntate (i. e. perversis Judaeorum opinionibus) instaurabis = contra Dei voluntatem.

Alii de divino, quem Satanae exhibere debeat, honore. Etenim Judaei tunc temporis opinabantur, omnes populos, exceptis Judaeis, Satanae malorumque daemonum imperio esse subditos. Fritzschius.

vs. 10. *τότε*] i. e. perspecta Satanae impietate.

ὕπαγε Σατανᾶ!] alii addunt: *ὀπίσω μου Σατ.* i. e. discede, ut mihi a tergo sis: illud, ut neque a tergo neque ab alia parte sis; gravius igitur dictum ideoque praeferendum.

vs. 11. *ἀφίησιν*] abscessit ab eo diabolus.

διακονεῖν] hl. cibum ministrare, cibum afferre cf. 1 Reg. 19, 5. (Alii: ministrare in universum.)

hl. cogitandum est, Jesum, quamdiu Satanas iterum iterumque eum explorans aderat, cibum capere nequivisse, sed tunc demum, quum Satanas eum reliquerat.

Hanc de tentatione Christi per diabolum narrationem alii proprie, alii improprie intellexerunt.

I. Qui proprie, provocant ad opiniones Judaeorum qui Messiam a Satana omni modo exploratum iri somniaverint. cf. praeter Lilienthalium, Hessium, Michaelem, Moschium,

a. Deylingius, Observatt. sacrae. vol. 2. p. 268 sq.
b. Baumgartenius de tentatione Christi in deserto. Hal. 1755.
c. Schulthessius, *Ueber den Versucher* Matth. 4, 1. in *Süskind's Magaz.* fasc. 2. p. 30.
d. Storrius, Opusc. academ. vol. 3. p. 8.
e. Fritzschius in comm. ad h. l. (Laudat hic opportunitatem loci — desertum, ubi malos daemones versari opinabantur — callida Satanae consilia, versutiam ejus, ferociam et superbiam, et pietatem, gravitatem et sublimem Christi animum, quo omnia Satanae consilia depellit) At huic sententiae repugnat idea providentiae et ipsius Satanae.

II. Alii improprie. Ex his

1) Alii cogitant, fraudulentum quendam Judaeum (utrum assessor synedrii magni an ipse pontifex maximus fuerit, in medio relinquunt,) = τὸν διάβολον — ad Jesum publice esse ablegatum, qui ex eo quaereret, an esset Messias? et si revera esset, ut ei auctor esset, ut in publicum prodiret et classicum quasi caneret ad jugum Romanorum excutiendum. cf.

1) Herrmannus v. d. Hardt in Ephemerid. philolog. p. 38. et exegesis locorum difficiliorum 4 evangg. p. 470.
2) Basedowius, *für forschende Selbstdenker, Lehrer d. ch. Weisheit.* Lips. 1780. p. 330.
3) (Schützius), *Die Versuchung Jesu, ein Empörungsversuch jüdischer Priester.* Hamburg, 1793.
4) (Moellerus, in libro:) *Kritik des Comment. ü. d. N. T. v. D. Paulus, und*
Ejusd. *Neue Ansichten schwieriger Stellen aus d. 4 Evangg.* Gotha, 1819.
5) Rosenmullerus et Kunoelius ad h. l.
6) *Natürliche Geschichte des Propheten von Nazareth.* Bethlehemi, 1800.

At huic conjecturae omnia vel articulus in voce ὁ διάβολος repugnat.

2) Alii censent, Jesum hunc locum tanquam parabolam discipulis suis proposuisse, ut doceret, quo animo i. e. quanta sapientia, modestia, constantia quantaque in Deum fiducia doctor vere christianus esse debeat. cf.

Schmidtius, Bibl. vol. 1. p. 59 sqq.
Schleiermacherus, *Schriften d. Luk.* p. 54 sq.
Usteri, *Stud. u. Krit.* vol. 2. fasc. 3. p. 456 sqq.

At ejusmodi interpretatio insulsa est, et ab h. l. alienissima.

3) Alii, inesse mythum historicum vel philosophicum, ut pateret, cur Christus per 40 dies in deserto latuerit, et ut jejunium Christi jejunio Mosis et Eliae responderet. (Exod. 24, 18. 34, 28. Deut. 9, 9. 18. 1 Reg. 19, 8.) cf.

Zieglerus in *l. Gabler's Journ.* vol. 5. p. 201.
Schmidtius, *Bibl. f. Kritik u. Exegese.* vol. 2. p. 222.
Schroeterus, *Die Versuchung Jesu, die Hypothese irgend eines frommen Judenchristen in l.* Rehkopfii: *Prediger-journal. Dritter Jahrgang.* p. 381 sqq.
Schulzius *in* Augusti *theol. Monatsschrift.* fasc. 12. p. 139.
Schmidtius, *Exeget. Beiträge z. d. Schr. d. N. B.* p. 335.
de Wettius l. l. p. 42 sq. ita statuit: „*Da die Stellung dieser Erzählung in der Lebensgeschichte Jesu in jedem Falle als ungeschichtlich und der Inhalt als sinnbildlich angesehen werden muss: so ist die Annahme eines Mythus, d. h. einer freien aus religiösen Zeitideen entstandenen Sage, die natürlichste. — — Der Satan ist der Feind des Messias und seines Reichs, und dieser — ohnehin dem sittlichen Kampfe unterworfen* (Hebr. 4, 15.) — *musste, wie während seines ganzen Wirkens* (Matth. 13, 59.) *und am Ende seines Lebens* (Joh. 14, 30.), *so auch gleich bei seinem Auftritte mit ihm kämpfen. Wie der Ankläger der Menschen Hiob geprüft hatte, so prüfte er auch den Messias, und zwar Anfangs durch die Lust der Welt, zuletzt durch die Schrecken derselben* (Hase). (*Von einer Versuchung des Messias durch den Teufel eine Andeutung in Pesikta bei* Schöttg. hor. 2, 538.) *Das Einzelne hat verschiedene Anknüpfungspunkte. Die Weihe der Taufe führte auf die Idee einer Prüfung. Die Wüste war die Wohnung der bösen Geister; in der Wüste war das Volk Israel* 40 *Jahre geprüft worden* (5 Mos. 8, 2. LXX.); *daselbst hatte Moses* 40 *Tage und* 40 *Nächte gefastet. Die erste Versuchung lehnt sich an* 2 Mos. 16; *die zweite, ihrem Inhalte nach, an die Sünde Israeles in der Wüste, Gott zu versuchen, der Form nach an* Ps. 91, 11 sq.; *die dritte ging aus dem Hauptgegensatze der christlichen Christologie mit der jüdischen hervor. Der Dienst der Engel endlich hat sein Vorbild in den Geschichten Elias.*"

4) Alii, in toto hoc loco agi de re sive in exstasi sive in somnio Jesu oblata, quam Jesus deinde cum discipulis suis communicaverit. cf.

Mopsvestenus in Münteri fragmentis patrum graecorum. fasc. 1. p. 107. Hafniae 1788.
Calvinus, Institut. et Commentt. in N. T.
Cyprianus in sermonibus de jejunio et tentationibus Christi. opp. ejus ed. Basil. p. 439.
Beckerus, *Die bezauberte Welt.* Amstelod. 1693.
Wetsten. ad h. l.
Boltenius, *Bericht des Matth. v. Jesu d. Messias.* p. 51.
Paulus, Comment. ad h. l.
Gablerus, *Neuestes theol. Journal.* vol. 6. p. 235. et *Journ. f. theol. Lit.* t. 2. p. 309.
Bertholdtus in opusc. academ. p. 50.
Gratzius ad h. l.
Reussius, *Exeget. theol. Journ.* fasc. 2. p. 15. Giessae 1824.
Olshausen. ad h. l.

At ejusmodi exstasis a Christo quam maxime fuit aliena; nullum adest hujus visionis indicium; repugnant verba ἀνήχθη εἰς τὴν ἔρημον; apostoli alias accurate distinguunt visiones a rebus in facto positis.

5) **Alii** censent, Jesum sacra lotione per Johannem imbutum sese contulisse in locum desertum, ut piis de regno Messiano condendo vacaret meditationibus. Cogitanti autem de provincia sibi demandata obtulisse se ei duas de Messia ejusque regno cogitationes, utrum satisfacturus esset opinioni Judaeorum nec ne.

Jesus igitur apud animum suum reputat: qualis Messias proditurus es? Num Judaeorum? et tunc perpetranda sunt miracula totusque, qui in rerum natura obtinet, ordo deserendus (εἰπὲ, ἵνα etc.); tunc id quod animum movet impellitque est honor immensique, (ταῦτα πάντα δώσω σοι,) si res prospere succedit, per orbem terrarum imperii cupido —; at hoc prorsus repugnat voluntati numinis supremi, quod solum religiose colendum est; tunc denique impossibilia fiant necesse est et quid providentia divina possit experiundum Deusque tentandus —; — at ejusmodi cogitatio quam maxime impia ipsa impietas (ὁ διάβολος) est et abominanda. cf.

Thaddaeus, *Die Versuchungsgeschichte Christi erläutert und von Widersprüchen gerettet.* Bonn 1794.
de Ammonius, *Bibl. Theolog.* vol. 2. p. 317.
Flattus *in l. Süsk. Magaz.* fasc. 15. p. 169.
Krummacherus, *Ueber den Geist und die Form der evangelischen Geschichte.* Leipzig 1805.
Gelbrichtius, diss. de eo: an male, ut nonnulli opinantur, de animo Jesu sentiendum sit, si ὁ πειράζων — Christus ipse i. e. mentis ipsius cogitata fuerint. Altenburg 1815.
Ullmannus, *Die Sündlosigkeit Jesu* (ed. 2.) p. 84 sqq. (qui non factum quoddam, sed quaecunque Jesu de munere suo cogitanti obversari eumque sollicitare ad peccandum potuerint, hl. congesta esse opinatur.)
Hasius, *Leben Jesu* §. 55. (ed. 2.)

Jesus in Galilaea docet, quatuor eligit discipulos ac miracula edit.

Cap. IV, 12—25.

vs. 12. *παρεδόθη*] alii, *εἰς φυλακήν*, in vincula; **alii**, adversario suo, Herodi Antipae.

ἀνεχώρησεν] sed unde? e Judaea. Cur in Galilaeam, quae et ipsa Herodi Antipae subjecta erat, sese contulit?

Alii: ut iram, invidiam et clandestina sacerdotum et Pharisaeorum consilia effugeret.

Alii: ne a partibus eorum stare videretur, qui propter Johannem in vincula conjectum res novas molirentur.

Alii (**Fritzschius** v. c.): volebat Christus ratum fieri V. T. oraculum (Jes. 9, 1.), ut Galilaei, conjecto in vincula Johanne, magnis in tenebris constituti se haberent insi-

gnem lucem vs. 16. — Provocant np. haud pauci ad opinionem Judaeorum, quae satis pervulgata fuerit, Messiam in Galilaea esse proditurum.

Alii, ut tutus esset ab omnibus Antipae insidiis, Jesum secessisse in partem Galilaeae maritimam, ubi sitae erant Capharnaumum et Bethsaida (Joseph. B. J. 2, 6. 3.), quae oppida Philippo, homini justo ac miti parebant. Grot.

Alii, ut de Wettius: ne oculos hominum in sese converteret, secessit ex illa regione, ubi Johannes docebat.

vs. 13. εἰς Καπερν. (rectius Καφαρν.)] — כְּפַר נַחוּם, χωρίον παρακλήσεως — urbs nobilis et opulenta piscatu et mercatura, sita erat in Galilaea in finibus tribuum Sebulon et Naphtalim; vocabatur etiam παραθαλασσία, quia iuxta lacum erat Gennezaret, et ἡ ἰδία αὐτοῦ (np. Ἰησοῦ) πόλις, quia saepissime ibi versabatur atque in synagoga Judaeorum docebat.

vs. 14. ἵνα πληρωθῇ] Jes. 8, 23. 9, 1. Vates canit, fore, ut exsules per Assyrios abducti in Galilaeam redeant et cum regno Davidico iterum coalescant. hl. ut luce div. collustrentur.

vs. 15. ὁδὸν θαλάσσης] est locus vexatissimus.

Alii subintell. παρά s. κατά, ut Theophyl., Euthym., Grot.

Alii (Wahl.) i. q. ἥ ἐστιν ὁδὸς θαλάσσης s. ἔχουσα ὁδὸν θαλάσσης, tenens viam ad mare i. e. lacum Gennezaret (דֶּרֶךְ הַיָּם).

Alii: terra Sebulon et Naphtalim, te, viam ad mare, dico, terram ultra Jordanem in Galilaea gentium. — At deest σέ.

Alii (ut Fritzsch.) legendum esse censent ὁδός. (Sic jam legerunt Hieronym. et Juvenc.)

Alii (de Wett.) accusativum ὁδὸν θαλάσσης (*der Weg am Meere*) hl. situm terrae significare existimant.

Γαλιλ. τ. ἐθνῶν] (גְּלִיל הַגּוֹיִם). Sic vocabatur septentrionalis Palaestinae pars, in qua Tiberias, Gabara, Capharnaum et Nazareta primariae erant urbes. Dividebatur in superiorem (τὴν ἄνω) et inferiorem (τὴν κάτω). Galilaea gentium s. barbarorum autem dicebatur non universa Galilaea, sed proprie Galilaea superior; alii credunt, quia barbaris vicina erat, v. c. Tyriis, Sidoniis etc.; alii, quia barbari Judaeis mixti eam habitabant.

vs. 16. ὁ λαὸς — ἐν σκότει, εἶδε φῶς κτλ.] sine imagine: (Johanne in vincula conjecto?) populus, qui prae ceteris ignorantia rerum divinarum laborat, accuratissima rerum divinarum cognitione per Messiam imbuitur.

φῶς] aliis est: religio vera; aliis (sic hl.) doctor. Eodem modo Graeci et Latini viros insignes dicunt φῶτα τ. κόσμου, lumina mundi.

ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου] (צַלְמָוֶת) i. e. in regione et quidem obducta tenebris, quas inhabitat mors i. e. regione longe tenebricosissima. hl. homines cognitione rerum divinarum prorsus destituti.

vs. 17. ἀπὸ τότε ἤρξατο κτλ.] ab eo inde tempore, quo sedem suam fixerat Capharnaumi, alta voce hunc in modum docere coepit.

ἤρξατο κηρύσσ.] hl. recte positum est, quia Christus nondum docuerat: igitur minime abundat s. i. q. ἐκήρυξε.

vs. 18. Simon Petrus (aram. כֵּיפָא) filius erat Jonae, Bethsaida oriundus, piscator, vir ingenio promptus, verum interdum praeceps, qui Jesum Messiam esse sibi habebat persuasissimum. Post reditum Christi ad patrem aliquamdiu versatus est Hierosolymis, sed, Jacobo majore interfecto, e vinculis liberatus ad exteras gentes sese contulit, inprimis Judaeos (ἀπόστολος τῆς περιτομῆς). Cum Paulo disceptavit Antiochiae, quocum deinde Romae supplicio affectus esse traditur.

Andreas, frater ejus, antea discipulus Johannis B., in Scythia, Graecia etc. sacra christiana propagasse et Patris in Achaja in crucem actus esse fertur. cf. Joh. 1, 35—42.

vs. 19. δεῦτε ὀπίσω μου] i. e. tradite vos (np. perpetuo) in meam disciplinam.

καὶ ποιήσω ὑμᾶς ἁλ. ἀνθρ.] alludit Jesus ad vitae eorum genus. hl. faciam vos doctores, qui alios res divinas docendo ad partes suas trahant, alliciant ac teneant.

vs. 21. Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ζεβεδαίου] (non confundendus cum Jacobo, filio Alphaei ac Mariae) hl. est Jacobus major, quem Agrippa a. 44. Hierosolymis gladio percussit. — Hi quatuor discipuli minime erant pauperes; nam Petrus et Andreas domum possidebant Capharnaumi et filii Zebedaei habebant mercenarios (Marc. 1, 20.).

Ἰωάννης] (a חָנַן et יְהוָֹה i. e. qui favore Dei fruitur,) filius Zebedaei et Salomes, patria Galilaeus, piscator. Initio discipulus Johannis B., deinde Christi et unus ex ejus familiarissimis. Ingenium ejus antea fuit fervidum, postea placidum amorisque plenissimum, cui Jesus moriens matrem suam commendavit. In Samaria sacra christiana propagasse narratur et in Asia minore. Exsul fuit in insula Patmo (una e Sporadibus — Palmosa) sub Domitiano. Senio confectus (al. a. 90. al. 99. al. 120.) diem obiit.

De oratione montana.
Cap. IV, 23. — VII, 29.

Jam sequitur celeberrima ac uberrima illa montana, quam vocant, Christi oratio, quam cum Herdero Magnam Chartam reipublicae christianae recte dixeris.

Exponitur autem primum, qua occasione et quo in loco habita sit, 4, 23—5, 2.: tunc sequitur prooemium, quo Jesus attentos reddit auditores, 5, 3—12.; porrò summum hujus orationis argumentum, quo agitur a) de dignitate Apostolorum 5, 13—16.; b) de nova legislatione veraque quam efflagitat pietate in regno Messiano, 5, 17 — 6, 18; c) de variis ad mores recte formandos praeceptis, 6, 19 — 7, 23.; deinde peroratio, quam vocant, 7, 24—27. et denique breve Matthaei de vi hujus orationis in animos auditorum indicium.

vs. 23. διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν] sc. permittentibus praefectis synagogarum.

vs. 24. δαιμονιζομένους] (quae vox late patet,) quicunque a malis daemonibus et Satana vexabantur, ut caeci, muti, furibundi, melancholici etc. Alii rem proprie ceperunt ut

Eschenbachius, Scripta medico-biblica. Rost. 1779.
Hessius, *Die Lehren, Thaten* etc. sect. 8.
Storrius, Opusc. vol. 1. p. 53.
Ejusd. *Lehrbuch der christl. Dogmatik.* p. 405.
Jahnius, *Nachträge zu s. theol. Werken.* Tubing. 1821. p. 193.

Alii improprie, ut

Semlerus, comment. de daemoniacis — in N. T. — — Hal. 1779.
Ejusd. *Umständliche Untersuchung der dämonischen Leute.* Hal. 1762.
Hugo Farmar, *Briefe — — über die dämonischen in den Evangg. mit Anmerkk. v. Semler.* Hal. 1783.
Timmermannus, diatr. de daemoniacis Evangg. Rintel. 1786.
Grunerus, comm. de daemoniacis a Christo sospitatore percuratis. Jen. 1775.
Doederlinius, Institutt. theol. chr. vol. 1. §. 145.
Michaelis, *Anmerkungen* ad h. l. p. 45 sqq.

σεληνιάζεσθαι] i. e. morbo comitiali laborare s. ἐπιληψία, quia crescente luna morbum augeri vel observaverant vel opinabantur.

παραλυτ.] membris capti; qui nervorum resolutione laborant; si toto corpore — ἀποπληξία; si parte tantum corporis — παράλυσις ab antiquis medicis vocari solebat.

vs. 25. Δεκάπολις] regio tribus Manassiticae trans Jordanem sita, ubi barbari decem (unde nomen) urbes habitabant.

cf. Plin. Hist. Nat. vol. 5. §. 16. Relandi Palaestina, Wineri Realw.

Cap. V, 1. *εἰς τὸ ὄρος*] in montem, quem nostis. Videtur in vicinia Capharnaumi fuisse. cf.

Tholuckius in l. infra l. p. 52.
Paulus, *Reisen*. vol. 1. p. 144. vol. 2. p. 103.

οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ] aliis duodecim apostoli; aliis discipuli in universum (9, 9 sqq.).

vs. 2. *ἀνοίξας τὸ στόμα*] neque abundat, ut Kunoel. vult, neque cum vi dictum est — ut sit: clara voce et cum fiducia, ut Wetsten., neque grandiloquentia, ut Elsn., Tholuck. cogitarunt, sed simpliciter: os ad dicendum composuit, dicere coepit.

ἐδίδασκεν αὐτούς] alii, et *τοὺς ὄχλους* et *τοὺς μαθητάς* intell., ut Grot., de Wett.; alii solos *μαθητάς*, quamquam hominum multitudo aures ei praebuerit.

Animos auditorum ut quam maxime attentos reddat eosque admoneat, quo animo, quibus moribus cives regni sui esse debeant, docet:

a. hominibus vere piis vera etiam contingit in regno Messiano beatitudo, qua vel in vitae discrimine potiri eamque obtinere possis. 5, 3—12.

vs. 3. *οἱ πτωχοὶ τῷ πν.*] Alii (Erasm., Bez., Schmid., Wolf., Schleusn., Reichard., Kunoel.): spiritu pauperes i. e. modesti, homines submisso animo, qui sese non jactant.

Alii (Wetsten.): beati sunt pauperes Spiritui div. i. e. judice spiritu div.

Alii (Heum., Mich., Schust., Rosenm. et Paul.): beati animo sunt pauperes. (At tunc dicendum erat: *μακάριοι τῷ πν. οἱ πτ.* s. addendum aliquid v. c. *τοῖς χρήμασι.*)

Alii: qui voluntariam paupertatem subierunt. (At tunc addendum erat *τῷ θελήματι* s. *τῇ προαιρέσει.*)

Alii (de Wett. l. l. et de morte Chr. expiatoria): ref. ad Israelitas calamitatibus vexatos, qui auxilio Messiae indigent eumque exspectant = אֶבְיוֹנִים; sperabant enim Judaei omnium malorum liberationem per Messiam. (*Unglückliche im Geiste, die sich nicht darum unglücklich fühlen, weil ihnen äusseres Wohlsein, Herrschaft, Macht, Ehre fehlt, weil die Theokratie von den Heiden unterdrückt und die jüdische Nation dienstbar ist, sondern weil ihnen Licht, Heil, Wahrheit, Gerechtigkeit fehlt, weil sie sich vom Sündenelend gedrückt fühlen. Christus will Anhänger vom zerknirschten Geiste, die nach Sündenvergebung schmachten und Gott um ein reines Herz anflehen*; wie Ps. 51. opp. *πτωχοὶ τῇ σαρκί*; similiter Munsterus,

Fleckius de regno div. p. 167. (animo pauperes); Daubii et Creuzeri Stud. vol. 3.

Alii (ut Win., Fritzsch.): animo pauperes i. e. ingenio et eruditione parum florentes. Ejusmodi enim homines in disciplinam Jesu sese tradiderant. cf. 2 Cor. 1, 16. 17.

Alii, ut Grotius: pauperes (1 Cor. 1, 26. Jacob. 2, 5.) animo np. placido in re sua modica. hl. qui sentiunt, se nondum in rebus div. cognoscendis, in virtute expetenda satis profecisse (ut Tholuckius, *die sich in ihrem Geiste, an δικαιοσύνῃ* etc. *arm Fühlenden*).

αὐτῶν ἐστιν] i. e. iis destinatum est, ad eos pertinet regnum illud Messianum s. beatitudo Messiana et in hac et futura vita.

vs. 4. *οἱ πενϑοῦντες*] alii: qui vitiositate sua dolent, ut Kunoel. hl. qui lugent (qua de caussa non additur); ig. paupertate, manca virtute etc., percipient verum solatium per Messiam np. beatitudinem Messianam.

vs. 5. *οἱ πραεῖς*] mites, mansueti, affabiles, qui aliorum injuriam sustinent, ad ignoscendum parati. *Die demüthigen Dulder, die nicht weltliches Glück mit weltlichen Gewaltmitteln erringen wollen, werden zur siegreichen Herrschaft und geistigen Glückseligkeit erhoben. Gegensatz zu den weltlichen Messiaserwartungen.* de Wett. l. l.

κληρονομήσουσι] cf. Ps. 37, 11. pr. terra a Deo promissa potiri. hl. regno Messiano; alii, ut Heum. perperam: ecclesia mea per totum orbem terrarum propagabitur.

vs. 6. *οἱ πεινῶντες κ. διψ. τὴν δικ.*] alii: qui inopes esse malunt et justi, quam divites et injusti (subintell. *κατὰ* s. *διὰ τὴν δικαιοσύνην*). hl. ardentissimo desiderio flagrare. Sic Cic. nec sitio honores nec cupio gloriam.

δικαιοσύνη] alii i. q. *ὁδὸς τῆς δικαιοσ.* = doctrina chr., quae morum probitatem inculcat.

hl. justitia, quae in jure div. et humano expetendo cernitur = probitas, pietas omnino.

χορτασϑήσονται] alii minus recte: sitis virtutis exstinguetur s. saturabuntur justitia, ut de Wett.; hl. uberrimam regni Messiani beatitudinem percipient.

vs. 7. *οἱ ἐλεήμονες*] misericordes, opp. iis qui spe Messiana, quam vulgus alebat, seducti infesti erant Gentilibus animoque callo quasi obducto (de Wett.).

ἐλεηϑήσονται] np. a Deo, qui eos pro gratia sua bonis regni Mess. beat.

vs. 8. ὄψονται] alii, Deum oculis usurpare;
alii, accuratissima Dei ejusque consiliorum cognitione frui;
alii, Jesum refutasse opinionem Judaeorum, Graecorum etc., Deum non sine summo vitae discrimine conspici posse (Exod. 33, 20. Joh. 1, 18. 6, 46. 1 Tim. 6, 16.) id quod non nisi probissimis fuerit concessum;
alii, in conspectum Dei venire. Inde est explicandum, quod reges Orientalium raro cum hominibus esse et in publicum prodire solent; ig. in conspectu Dei versari est maxima beatitate per Deum in regno Messiano frui. de Wett.: *es bezeichnet die unmittelbarste geistige Gemeinschaft mit Gott nicht bloss in jener Welt* (Apoc. 22, 4.), *sondern auch hienieden* (Ps. 17, 16.).
hl. accuratissima Dei ejusque consiliorum cognitio et intima cum Deo conjunctio.

vs. 9. εἰρηνοποιοί] qui concordiae student. Jac. 3, 18.
υἱοὶ θεοῦ κληθ.] alii: erunt Dei filii. Sine dubio, sed plus inest, np. hoc: erunt et ab aliis vocabuntur filii Dei, sc. quando ad Messianam beatitudinem pertigerunt. (Bengel., Fritzsch.)
de Wettius: *Bürger des Reichs Gottes, der reinen seligen Gottesgemeinschaft, deren Haupt, Christus, selbst Sohn Gottes schlechthin heisst* (Joh. 1, 12. Rom. 8, 16.).

vs. 10. οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης] alii (sensu forensi): in jus vocati. hl. persecutionibus obnoxii, vexati ob probitatem. Male nonnulli ἕνεκεν δικ. interpr. ob doctrinam chr. s. professionem religionis chr.; nam nullo in loco id significat et deest etiam articulus.

vs. 11. ὀνειδίσωσιν] alii ref. ad publica convicia apud magistratus. hl. conviciis, maledictis petere sive publice sive privatim.
διώξωσι] alii: litem vobis intendent. hl. exagitare, persequi virtutis, pietatis doctores.
ἕνεκεν ἐμοῦ] alii: propter doctrinam chr.; de Wettius i. q. ἕνεκεν δικαιοσύνης, *indem Christus die persönliche Gerechtigkeit ist*. hl. propter me, voluntatis div. interpretem, quem vos sequimini.
ψευδόμενοι] secundum haud paucos delendum est non tam ob Codices quam ob sensum, quem mutat. Certe prorsus superfluum est ob v. ἕνεκεν ἐμοῦ.

vs. 12. χαίρετε καὶ ἀγαλλιᾶσθε] noli opinari cum Kuinoelio, haec verba synonyma esse et more Hebraeorum juncta. Illud significat gaudere, hoc gestire; inest correctio oratoria h. s. gaudete, imo, ut dicam quod rei est, exsultate.

ὁ *μισθὸς*] i. e. praemia illa vestra (sp. quae injurias aliorum ferendo, virtutem expetendo etc. vobis paratis,) — multa i. e. ampla, magna (*πολύς* i. q. *μέγας*, רַב) erunt. de Wettius: *Die Vorstellung eines Lohnes für sittliche Handlungen oder Leiden in der Ewigkeit kann auf doppelte Weise missverstanden werden: einmal so, als wenn nicht die Handlung selbst und ihre Folgen durch die innere Befriedigung, die sie schaffen, belohnend seien, sondern erst ausser sich in der Zukunft ihren Lohn finden. Der Begriff* **Lohn** *ist übergetragen auf die sittliche Vergeltung der göttlichen Weltordnung. Der der inneren Befriedigung liegt nothwendig darin, weil das kein Lohn ist, was nicht befriediget; vorherrschend aber ist der der objectiven göttlichen Vergeltung, welcher die subjective Zurechnung unterworfen ist. Der Lohn ist als ein jenseitiger gedacht, weil dort Alles, mithin auch die Vergeltung, vollendet ist; aber im Hinblick auf diesen jenseitigen Lohn liegt der innere Gewissenslohn, der schon hienieden beginnt. Daher ist auch das zu ergänzende* ἐστι, *so wie* ἔχετε vs. 46. 6, 1. *zeitlos zu fassen.* — — *Sodann veranlasst der Begriff Lohn die falsche Vorstellung, als könne er als eine Schuldigkeit von Gott gefordert werden, was gegen die Paulinische Gnadenlehre und selbst gegen* Matth. 20, 1 sqq. Luc. 17, 10. *wäre. Der Lohn ist allerdings ein nothwendiger, den Werken angemessener* (Rom. 2, 10. 2 Cor. 1, 10.), *aber er muss in Demuth erwartet werden.*

ἐν τοῖς οὐρανοῖς] alii: in vita post mortem futura. (h. l.); alii: nominibus vestris in libro vitae (*ἐν τῇ βίβλῳ τῆς ζωῆς* — בְּסֵפֶר חַיִּים) in coelo inscriptis;
alii: in regno Messiano in terris instaurando; nam Judaei non exspectabant regnum Messianum in coelis, sed in terris, quod simpliciter vocarunt *τοὺς οὐρανούς*.

τοὺς προφήτας] voluntatis div. interpretes, quos maximis a Deo praemiis ornatos esse creditis. Haec comparatio cum prophetis multum valebat ad animos excitandos.

Demonstrat, quanta sit Apostolorum suorum (alii, discipulorum latior. sens.) dignitas quantaque eorum officia, si provinciam divinitus sibi demandatam recte administrare velint. 5, 13—16.

vs. 13. *τὸ ἅλας τῆς γῆς*] sal terrae i. e. hominum = *τοῦ κόσμου*, generis humani. Alii provocant ad salis, cujus usus quam maxime necessarius est, apud homines pretium hoc sens. quemadmodum sal omnium rerum maximi pretii est, sic vos omnium hominum aestumatissimi, maxima dignitate insignes, ut Fritzsch.

Alii, ut Spanhemius in Dubb. Evangg. 3, 91. emphatice dictum esse *τὸ ἅλας* h. m. eximius ille sal terrarum

orbis: a) quia acrimonia sua subigit massam; b) a corruptione conservat et c) sapientiae symbolum est.

Alii, (quia sal cibos reddit sapidos ac impedit, quominus in putredinem abeant,) h. m. vos estis ii qui sapientia vestra in dicendo et agendo alios sapientes et meliores i. e. tales reddere debetis, quales, ut Dei favore fruantur, esse debeant. Recte!

Alii, ut **Paulus**, h. m. *Ihr werdet verfolgt, wie die begeisterten Propheten der Vorzeit; aber bleibet dennoch ein Salz für dies Land, ein den Bösen herbes, der allgemeinen Fäulniss widerstehendes Gewürz.* Similiter de **Wettius** p. 54.

μωρανθῇ] si salsedinem amisit.

ἐν τίνι ἁλισθήσεται] **Alii** (Lutherus): quanam re condiri poterit cibus? At repugnat εἰς οὐδὲν ἰσχύει.

Alii: quanam re salsedinem recipiet? i. e. nulla re recipere potest. **Vatabl.**, **Fritzsch.**

εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι κτλ.] nullam amplius habet utilitatem, nisi ut foras ejectus conculcetur ab hominibus.

Sens. est: Si vos, apostoli, (alii, mei sectatores,) qui aliis veram doctrinam tradere, sapientiae et pietatis exemplum praeire debetis, hanc provinciam non recte administraveritis, omni spe fructuque carebitis.

de **Wettius**: *Wenn ihr eurer höheren Bestimmung untreu werdet durch geistige Erschlaffung und Verderbniss (wovon die Möglichkeit gesetzt ist), so giebt es für euch kein Mittel der Erweckung, da ihr keine Lehrer und Führer über euch habt, sondern diese für Andere sein sollt. Damit wird jedoch nur die Pflicht ihnen eingeschärft, aber die Möglichkeit der Besserung nicht abgeleugnet.*

Alii h. m. Si vos dignitatem vestram apud homines amiseritis, nemo erit, qui in locum vestrum possit substitui; carebitis fructu, ut sal, qui sapore amisso in viam effunditur.

Alii, ut **Paulus**, ad h. l. *Wie man für dies Gewürz, wenn es seine Kraft verliert, kein anderes hat, um die todte Masse wieder kräftig zu machen, so gäbe es für Euch, einmal von der messianischen Lehre durchdrungen! wenn ihr diese Kraft verlöret, keine noch wirksamere, zum Guten anhaltende und reizende Kraft.*

Fritzschius: Vestra inter homines est salis auctoritas, quam amissam nolite putare vobis reddi posse; nam insipidus sal hominum pedibus in via exponitur.

vs. 14. τὸ φῶς τοῦ κόσμου] alii: lumina mundi i. e. doctores generis humani, qui saepissime sic dicuntur apud Hebraeos, Graecos et Latinos. At repugnat articulus.

Alii (recte): lumen i. e. sol, qui luce sua mundum collustrat. Sic Paul., Fritzsch.

Sens. Vos tanta divinitus ornati estis dignitate, ut cum sole comparari possitis; nam uti sol mundum, sic vos universum genus humanum luce collustrare i. e. edocere debetis.

οὐ δύναται πόλις κτλ.] alii (recte): Vos, homines in tanto dignitatis fastigio collocati, non latere potestis, quoniam omnium oculi in vos conversi sunt.

Alii: Vobis, quibus tam magna universum genus humanum luce div. collustrandi provincia demandata est, non licet hanc lucem occultare.

vs. 15. οὐδὲ καίουσι] neque accendunt i. e. accendere solent candelam et modio subjiciunt.

μόδιος] pr. est mensura aridorum sedecim capiens sextarios.

vs. 16. οὕτω κτλ.] Sic (i. e. ut urbs in monte et candela in candelabro posita) lux (i. e. scientia rerum div., sapientia, pietas) vestra luceat hominibus eo fine, ut probe facta vestra videant et patrem vestrum coelestem (np. auctorem hujus lucis) laudibus celebrent (ob hanc vestram mentis animique indolem, morum honestatem et merita de hominibus). — Caeterum is qui praeceptum illud 6, 1. 5. dedit, ostentationem commendare non potuit.

Messiam sacra emendaturum esse, ad unum omnes sperabant Judaei. Cordatiores legum Mosaicarum correctionem perfectissimis legibus a Messia sancitis; homines male sani legis mosaicae abrogationem habebant in votis. Quare tum ut opiniones illorum hominum corrigeret, tum ut malevolorum effugeret invidiam, demonstrat, quid a se, Messia, hac in re exspectandum sit, qualem legislationem ipse sanciturus sit qualemque ab hominibus efflagitet pietatem; profitetur enim

1) se legem mosaicam neutiquam esse sublaturum, sed perfecturum (5, 17—19.) et hanc ipsam ob causam

2) multo sublimiorem quam Pharisaeorum δικαιοσύνην (non solum externam, sed internam justitiam = pietatem) sese efflagitare ab hominibus, quod inde a 5, 20. — — — 6, 18. contra perversos legis Mos. tunc temporis interpretes exemplis probat. cf. de Wett. p. 55.

vs. 17. τὸν νόμον] i. e. legem mosaicam: τοὺς προφήτας] reliqua V. T. volumina; ig. totum V. T. ἤ ex opinione Kuinoelii est i. q. καί — o insaniam grammaticam! In-

tell. est ex mente nonnullorum h. m. nolite putare, me venisse, ut dissolverem legem mosaicam, aut prophetas. Videtur signum interrogandi post προφήτας ponendum esse h. m. Num putatis, me venisse, ut legem tollerem aut prophetas? non veni etc.

καταλύειν] solvere, abrogare, quod fieri potest aliud et contrarium ejus quod lex praecipit docendo, agendo vel legem omnino tollendo, meliore subdita.

πληρῶσαι] i. q. גָּמַר legem et prophetas interpretando, obscura collustrando, vera addendo, legem et prophetas amplificando; alii: vita exprimendo.

Alii, ut Wolf., Paul., Kunoel.: Non veni, ut legem Mosaicam i. e. praecepta de moribus, quae in lege Mosaica insunt, abrogorem, sed ea quae in iis desunt supplerem, majore auctoritate munirem. — At obstant οἱ προφῆται et, quamquam doctrina chr. sublimior est, jam lex Mosaica divinitus erat data.

Alii: Non veni, ut ea quae lege Mosaica et libris propheticis continentur, abrogarem, sed vita factisque exprimerem. — At quamquam Jesus etiam his omnibus satisfecit, tamen hic personam sustinet legislatoris. Igitur haec interpretatio nexui repugnat.

Alii: Veni, ut veram illam, quae in V. T. descripta est, Messiae imaginem vita mea exprimerem verum me Messiam exhibendo. — At vaticiniis V. T., quod per se patet, Messias semper respondere, certe non repugnare debebat.

Si legem mosaicam in duas dispescis partes, in praecepta de ritibus et moribus, Jesus utramque partem non modo non sustulit s. abrogavit, sed et ipse sensu sublimiore implevit et suis vita exprimendam sancivit (*er hat die religiöse Andacht und das Sittengesetz in ihrer Reinheit und Heiligkeit durch Lehre und Leben veranschaulichet und den Seinen ein Gleiches befohlen*); si doctrinam prophetarum de moribus eorumque de Messia vaticinia respicis, neque haec sustulit, sed sensu sublimiore iis respondit (*er entsprach der Idee eines geistigen Retters der Menschheit im erhabensten Sinne des Wortes*): attamen hoc in loco, ubi Christus, uti e nexu satis superque patet, personam legislatoris sustinet, neque de vaticiniis prophetarum de Messia neque de lege mosaica praeceptisque prophetarum de moribus vita exprimendis sermo est neque esse potest, sed de lege mosaica et prophetis i. e. de revelatione V. T. per novam omnibusque numeris absolutam i. e. christianam supplenda.

vs. 18. παρέλθῃ] pr. praeterire i. e. concitato cursu abire, ita ut oculis res subducatur = perire.

ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ] universus mundus. Alii (ut Luth., Zwingl., Calvin.): proverbialiter i. q. nunquam non. Alii (Tholuck.) proprie ob loca 1 Cor. 7, 31. Rom. 8, 19 sqq. Apoc. 21, 1. Non quaerendum est hl., utrum Christus et Judaei mundum interiturum esse statuerint nec ne.

ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία] ne minima quidem legis pars = praeceptum vi sua privabitur (pr. una litera aut linea non peribit i. e. pauciores una = nulla peribit).

ἕως ἂν πάντα γένηται] alii (Gratz. et Kunoel.) e Luca in h. l. translata esse judicant, sed sine ulla caussa.

Alii (Grot.): non peribunt legis elementa, quin imo penitus implebuntur. At ἂν repugnat et ἕως nunquam habet vim adversativam.

Alii (Wetst.): usque dum omnia, quae in V. T. de Messia leguntur, eventu comprobata sint.

Alii (Win., Fritzsch.): usque dum omnia (quaecunque tibi animo informare, cogitare volueris,) acciderint i. e. potius omnia alia, sive possibilia sive impossibilia, eveniant, quam ut exiguum legis praeceptum vi sua privetur. Inest duplex apodosis: ἕως ἂν παρέλθῃ et ἕως ἂν πάντα γένηται, sed una tantum protasis.

Alii (Paul.): usque dum omnia, quae ego Messias agere velim, peracta fuerint.

Alii: usque dum novum illud foedus Deum inter et homines, quod lex indigitat (et quae prophetae de adventu, factis fatisque Messiae cecinerunt (Tholuck.) renovatum fuerit (πάντα γενέσθαι). de Wett. ἕως signif. terminum ad quem (non: usque ad tempus, quo lex prorsus abrogata fuerit, sed quo lege non amplius opus erit, quia Deus omnia numine suo implet ac regit).

vs. 19. λύσῃ] alii (Homberg., Schleusn.) explicare, interpretari (male!). hl. violare; nam opp. ποιεῖν.

μίαν κτλ.] unum horum minimorum mandatorum. Dicitur his verbis (?) Christus carpsisse Pharisaeos, qui praecepta legis mosaicae in gravia et levia dividere solebant (Wetst.).

οὕτω] sc. etiamsi non omnia quae lege Mosaica continentur praecepta, tenuissima certe sine culpa poena digna posse migrari.

ἐλάχιστος] non: minimus, sed: valde exiguus; perexiguam dignitatem, perexigua habebit praemia. Alii (perperam): exterminabitur e regno Messiano et igni tradetur infernali.

οὖτος] alii, ut **Fritzsch.**, praef. *οὕτως*, sic i. e. si fecerit tradideritque.

μέγας] alii i. q. *μέγιστος*. hl. magni erit nominis.

Fritzschius: Qui tenuissima illa legis mandata agendo docendoque violaverit, eum perexiguae; qui religiose coluerit, eum magnae in regno Messiano aestimationis futurum esse dico. **Recte monet de Wettius**, de praeceptis vel minimis nequaquam ex mente Jesu migrandis: *Bezieht man λύειν auf den Geist des Gesetzes und denkt man dieses als ein organisches Ganze, in welchem Alles Bedeutung hat; so verschwindet alle Schwierigkeit: auch dem geringsten der Gebote muss sein Recht geschehen und die Idee, zu deren Darstellung es gehört, bewahrt und vollkommen verwirklicht werden.*

vs. 20. *ἐὰν μὴ περισσεύσῃ ὑμῶν δικ.*]

Alii ironice h. m. nisi pietas vestra praestantior sit Pharisaeis = praestat videlicet pietas Pharisaeorum s. e praestantem Pharisaeorum pietatem!

Alii (de Wett.), mente addunt: *τῆς δικαιοσύνης τῶν Φαρισ.* i. e. nisi vestra pietas pietatem Pharis. vicerit. At ejusmodi ellipsis nullibi locum habet.

Alii, Jesum bonos tantum e Pharisaeis respexisse opinantur.

Recte **Fritzschius**: nisi pietas vestra praestantior fuerit, magis quam ea instructi sunt Pharisaei.

vs. 21. *ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις*] potest significare 1) **antiquis** (sc. *χρόνοις*) temporibus; 2) (*πρὸς τοὺς ἀρχαίους*) majoribus, patribus est praeceptum; 3) (*ὑπὸ τῶν ἀρχαίων*) ab antiquis legum interpretibus, quorum auctoritas apud Pharisaeos tunc temporis maxima erat. Videtur hic altera significatio locum habere ob seqq., quae omnia e V. T. petita sunt, sed ita, ut simul prava legisperitorum refellatur interpretatio, ac vera Christi in luce collocetur. Hoc modo jam **Capell.**, **Grot.**, **Tholuck.**, de **Wett.** al.

οὐ φονεύσεις] non, puto, homicidium committes. Exod. 20, 13.

ἔνοχος — τῇ κρίσει] nempe judicio (non: trium et viginti, ut **Rabbini**, sed) septemvirorum, qui in singulis oppidis (Deut. 16, 18. 21, 2.) leviores causas cognoscebant; graviores et publicas causas cognoscere solebat synedrium magnum Hierosolymis.

vs. 22. *ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν*] ego autem confirmo vobis. *τῷ ἀδελφῷ*] alii: alteri; alii: fratri, quia omnes in societate chr. fratres sunt. *εἰκῇ* post *αὐτοῦ* delendum est, quia in multis subsidiis deest et sententiae gravitatem ele-

vat; videntur haud pauci id retinuisse, quia Ephes. 4, 26. de justa ira sermo est. Christus hl. carpit levitatem Pharisaeorum.

ῥακά] si derivatur a voce ריק est: homo vacuus, vanus, absurdus; si a רָקָק, homo vilis, qui despicatui est.

τῷ συνεδρίῳ] Synedrium magnum supplicio afficere poterat, venia a Romano procuratore impetrata. *μωρός*] stultus, impius, scelestus, נָבָל.

γέεννα] גֵּיא הִנֹּם, pr. vallis Hinnom, olim amoenissima, ferax arborum, plena fontium, haud procul erat ab Hierosolymis ad torrentem Kidron, ubi olim Judaei idololatriae dediti in honorem Molochi infantes suos igni combusserant, sed post exsilium Babylonicum et ritum hunc nefandum et locum ita abominati sunt, ut non nisi cadavera et sordes eo congererent flammisque traderent. Describere solebant geennam tanquam locum ignibus infernalibus plenum, unde *γέεννα τοῦ πυρός*. Denique crediderunt, daemones impiosque homines perpetuo ibi igni excruciari = locus infernalis. Quare non cum Kuinoel., Tholuck. al. intell. dignus, qui vivus comburatur.

εἰς τὴν γέενναν] non suppl. est *βληθῆναι*, sed simpliciter: obnoxius erit usque ad geennam.

Sensus totius loci: Ego autem vobis confirmo, quicunque iram in alterum conceperit, ex Messiae sententia obnoxium fore judicio septemvirorum (tanquam hominem gravissima correctione dignum); quicunque autem alterum dixerit vanum, absurdum, obnoxium fore synedrio magno (i. e. gravissimo supplicio dignum); quicunque autem alterum dixerit impium, scelestum, obnoxium fore usque ad geennam (i. e. hominem aeternis cruciatibus dignum). Haec omnia non strictissimo sensu capienda esse, per se patet. Christus hoc sibi vult: ejusmodi facinora in regno Messiano inaudita, ab eo quam maxime aliena sunt.

vs. 23. *προσφέρῃς*] alii, ut Grot.: quum donum tuum offerre vis, sed rectius alii (jam Beza): quando in dono tuo offerendo occupatus es.

κἀκεῖ] propter aram.

vs. 24. *πρῶτον*] alii, ut Erasm., Luth., Gersdorf. ref. ad *ὕπαγε*: alii, ut Griesbach., Fritzsch., de Wett. ad *διαλλάγηθι*, quia reconciliatio hl. primaria sententia est.

Sens. Ex mea, Messiae, sententia quaevis ira animique cupiditas, quae mater est scelerum et flagitiorum, quam maxime fugienda est et in pacem redire cum altero, quem laeseris, vel gravissimis et sanctissimis negotiis longe

praeferendum. Seneca: non in victimis, licet optimae sint auroque praefulgeant, Dei sit honos, sed in pia ac recta voluntate venerantium. Plato, Alcibiad. II. δεινὸν εἴη, εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ θεοὶ, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχὴν, ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ.

vs. 25. ἀντίδικος] hl. adversarius et creditor, ut e seqq. patet.

ταχύ] i. e. antequam res ad judices defertur.

εὐνοῶν] paratus ad litem componendam et pacem revocandam.

ἕως ὅτου κτλ.] alii (Kunoel., Bretsch.): dum, quamdiu; alii: usque ad id tempus, quo adversarius tuus in via ad judices sit = priusquam rem ad judices detulerit. Lectio μετ' αὐτοῦ est interpretamentum.

vs. 26. ἐκεῖθεν] e vinculis.

ἕως ἂν ἀποδῷς κτλ.] donec ultimum quadrantem i. e. omnem pecuniarum, quas mutuo accepisti, vim persolveris.

κοδράντην] quadrans i. e. quarta pars assis semuncialis, quae apud Judaeos duo λέπτα (zwei Pfennige) valebat. Gronovius, de pecunia vetere, p. 437. Spanhemius, de usu et praestantia numism. vol. 1. p. 20.

Sens. Discordia quaevis sine mora tollenda est; nam quicunque non justo tempore eam componit (id quod jam e causis civilibus patet,) gravissimas subibit poenas.

Alii (Origen., Hieronym., Augustin., Paul.) h. l. proprie accipiunt pro exemplo e vita communi.

Alii (Catholici, Olshausen.) improprie de igne purgatorio s. statu medio, quem vocant.

vs. 27. Videntur legis doctores hanc legem non nisi ad adulterium, minime vero ad pravas libidines retulisse, quare Jesus hanc perversam eorum de moribus doctrinam graviter impugnat.

vs. 28. ὁ βλέπων] (nam ἐμβλέπων, ἐμβλέψας s. βλέψας — interpretamenta sunt) γυν. πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι (Fritzsch.) „ad concupiscendum, ut adsit cupiditas, mutua opinor.“ Plerique leg. πρ. τ. ἐπιθ. αὐτῆς vel αὐτήν.

Alii: quicunque intueatur mulierculam (non uxorem, ut alii), ita ut ejus cupidine uratur. At πρός nullibi est i. q. ὥστε.

Alii (recte): eo fine, ut etc.

ἐμοίχευσεν αὐτήν κτλ.] alii: jam adulterium cum ea commisit; alii: jam cum ea concubuit (sp. in animo suo). Scelus inter se tacitum qui cogitat ullum, facti crimen habet.

Juven. Sat. 13, 209. Ut jam servaris corpus, adultera mens est. Ovid. Am. 3, 4. 5.

vs. 29. ὁ δεξιός] alii (Bez., Spanh., de Wett.) acerrimus, necessarius, carissimus. hl. simpliciter dexter.

σκανδαλίζειν] hl. libidinem provocare.

βάλε] tanquam rem nullius pretii.

συμφέρει σοι] alii: melius est (μᾶλλον);

alii (recte): conducit enim tibi np. evulsum projecisse oculum, eo fine, ut pereat.

Sensum h. l. alii, ut de Wettius, improprie capiunt: corporis cupido ac libido summa vi opprimenda est et exstinguenda, ne aeternae beatitudinis spe excidas.

Alii, ut Grotius, hyperbolice: deberes, si aliter te servare non possis, vel oculum tibi eruere; at mihi satis est, si eum a vultu illecebroso avertas.

Alii proprie: oculus evertendus et pes praecidendus est, ne libidini indulgeas, quia jam per se verissima nascatur sententia, vs. 39. idem suadeat et haec doctrina severissimo morum doctore Jesu dignissima sit.

Seneca: Projice quaecunque cor tuum laniant, quae si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis evellendum esset.

vs. 31. Ex lege Mosaica (Deut. 24, 1.) maritis, dato libello repudii, uxorem dimittere licebat, si in uxore rem ipsis molestam (עֶרְוַת דָּבָר) deprehendissent. Abierant autem tunc temporis doctores in duas partes, quarum

altera, Sameitae (R. Sameam ducem secuti) non nisi pudicitia violata i. e. adulterio commisso;

altera, asseclae Hillelis et Akibae, quavis fere de causa v. g. si mulier cibos non apte paraverit, si maritus pulchriorem viderit foeminam, uxorem dimitti posse docebant. Ad hanc infrenatam Judaeorum licentiam perstringendam Christus gravissimam proposuit sententiam.

ὃς ἂν ἀπολύσῃ] quicunque repudiaverit, i. e. repudiare apud animum suum decreverit.

vs. 32. παρεκτὸς λόγου πορνείας] praeter causam s. crimen adulterii = excepto adulterii crimine.

ποιεῖ αὐτὴν μοιχ.] facit, ut adulterium committat, quia prius matrimonium sine ullo jure solutum est.

καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελ.] et quicunque dimissam (np. sine jure) in matrimonium ducit, adulterium committit (np. quia prius matrimonium sine jure solutum revera adhuc durat).

de Wettius: *Jesus spricht nur von der damals üblichen willkürlichen Entlassung des Weibes durch den Mann, unter der Voraussetzung der ganz rechtlosen Stellung des ersteren: bei unserer, durch öffentliches Urtheil geschehenden Ehescheidung hingegen werden die Rechte beider Theile anerkannt. Er erschöpft den Gegenstand so wenig, dass er sich auf den Fall, wo der Mann durch Hurerei die Ehe gebrochen, gar nicht einlässt, weil nach damaliger Sitte das Weib keine Genugthuung dafür erhalten konnte. Zwar geht er von dem Principe der Unauflöslichkeit der Ehe aus* (19, 4—6.); *allein indem er Einen faktischen Trennungsgrund zugibt, gibt er auch mehrere zu.* Haec de Wettii doctrina nobis multo lenior esse videtur, ita, ut lubentius faciamus (si verum est, quod probare studuit,) cum Vener. Hugio, (diss. de conjugii christiani vinculo indissolubili. Friburg. 1816.) (qui verba: *εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ* pro spuriis habet.)

vs. 33. Moses (Exod. 20, 7. Levit. 19, 12.) severissime quidem omne perjurium lege interdixerat, sed Judaei, ut sunt Orientales fervidiore ingenio, praecipites ad res jurejurando confirmandas, perversis spinosisque interpretationibus legem illam vi sua privaverant. Quare Christus omnino ab omni jurejurando obtestationibusque abstinendum docet; nam in quavis re, per quam juraveris, latet semper numen divinum.

ἀποδώσεις κτλ.] persolves Deo, (at non hominibus,) quod jurejurando interposito promisisti. Sic doctores Judaici ll. V. T. interpretari solebant.

vs. 34—36. *μὴ ὀμόσαι κτλ.*] 1 Cor. 15, 29. Jac. 5, 12. ne omnino juretis (Beza: per nullam rem creatam; non ipsum jusjurandum legitime conceptum damnat Christus,) neque per coelum, quia solium Dei est (secundum effata V. T. Jes. 66, 1.) neque per terram, quia pedum ejus scabellum est (Jes. 1, 1.) neque per Hierosolyma (proprie facie H. versa,) quia magni, quem nostis, regis (i. e. summi numinis, *βασιλέως βασιλέων* Ps. 48, 2. Tob. 13, 15. 36.) civitas; ne per caput quidem tuum jures (leg. *μηδέ*, non *μήτε*); nam nullum potes pilum album aut nigrum reddere.

οὐ δύνασαι μίαν κτλ.] alii scribere voluerunt: *μίαν τρίχα λευκὴν ποιῆσαι μέλαιναν*, nullum canum pilum nigrum reddere potes.

Alii intell. h. m. nam ne unum quidem pilum album, aut nigrum producere potes (Wolf., Kunoel.).

Alii recte: caput tuum imperio summi numinis subditum est ita, ut ne colorem quidem alium pilo tuo inducere possis (Fritzsch., de Wett.).

vs. 37. ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν] alii, ut Beza, h. m. verba jungunt: ὁ λόγος ὑμῶν (ὁ μὲν) ναί i. e. καταφατικὸς esto ναί = sermo vester affirmans esto etiam: (ὁ δὲ) οὒ i. e. ἀποφατικὸς = negans autem non (cf. Jacob. 5, 12.). *Euer Jawort sei Ja und euer Neinwort sei Nein.* — Jejuna admodum interpretatio.

Alii: facta dictis quibus vel affirmetis vel negetis, congruant. At Christus hl. non de factorum cum dictis congruentia loquitur, sed de obtestationibus omnino tollendis.

Alii: quin sermo vester hic sit: profecto, profecto: non, non. Recte!

τὸ δὲ περισσὸν τούτων] quod his amplius est, np. jusjurandum.

ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν] alii, ut Grotius, ref. ad morem non standi promissis;

alii: ex improbo s. impietate profectum = improbum est;

alii: a malo daemone profectum est, Satanam habet auctorem. Hanc praeferunt ob sententiae gravitatem.

Quaesiverunt: an Christus etiam jusjurandum civile interdixerit? Diserte quidem non commemoratur h. l., sed videtur ex severissima Christi doctrina probari posse, non amplius eo opus esse in republica vere christiana.

vs. 38. Audistis dictum esse: oculum oculi loco et dentem dentis loco i. e. oculum oculo, dentem dente ex lege Mosaica (Exod. 21, 24. Levit. 24, 19. Deut. 19, 21.) esse permutandum, qui injuriam fecerit. Valebat antiquitus jus talionis. Apud Hebraeos ex lege Mosaica penes judices erat jus talionis exercere, postea tamen quivis homo privatus id exercuisse videtur, judicibus, imprimis Pharisaeis, conniventibus (id quod de Wettius in Tholuckii interpretatione impugnat). Docet igitur Christus, animum vere pium non solum a vindicta quavis alienum esse debere, verum etiam paratum ad graviores, quam quas adversarius intulerit, injurias ferendas, concordiae pacisque amore.

vs. 39. τῷ πονηρῷ] alii: ne Satanae resistatis;

alii: ne malo s. injuriis occurratis (Tholuck.);

alii: ne adversario, maligno homini repugnetis, ut Grot. Sic hl. ob sqq.

ἀλλ᾽ ὅστις κτλ.] Rom. 12, 17. Plato in Crit. οὐδὲ ἀδικούμενον δεῖ ἀνταδικεῖν.

vs. 40. σοι κριθῆναι] te in jus vocare, lite tecum contendere (privatim, ut de Wett.?).

λαβεῖν, τ. χιτῶνα] tunicam tuam (quae pallio minus pretiosa est) ex judicis sententia capere (np. pignoris loco), ei pallium quoque (quamquam necessarium ac pretiosium) permitte. Casaub.

vs. 41. *ἀγγαρεύσει μίλιον ἕν*] et quicunque te cogit unum milliare (cursu cum eo conficere).

vs. 42. *μὴ ἀποστραφῇς*] ne averseris i. e. ne id quod abs te petiverit negaveris. De foeneratione Judaeis lege interdicta. cf. Exod. 21, 23. Levit. 21, 37. Deut. 22, 21.

Sens. Quicunque meus esse cupit discipulus, a nullo humanitatis officio debet esse alienus.

vs. 43. *ἀγαπήσεις τ. πλησ*] Levit. 19, 18. amabis popularem tuum, unde pessimi legis interpretes hanc extorserant opinionem: igitur licitum erit, adversarium tuum odio habere. Attamen non nisi erga populares amor in V. T. commendatur. cf. Exod. 23, 4. Deut. 22, 1. Exod. 34, 11. Deut. 7, 1. Hinc Juvenalis de Judaeis: non monstrare vias nisi eadem sacra colenti; et Tacitus: apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, adversus omnes hostile odium. Exod. 17, 16. Deut. 25, 19.

vs. 44. *εὐλογεῖτε* usque ad *μισοῦσιν ὑμᾶς* in nonnullis subsidiis desunt, apud nonnullos Patres non leguntur et ex sententia Griesbachii e Luc. 6, 27. 28. huc translata sunt. At 1) Patres facile omittere poterant, quia pluribus formulis eadem sententia exprimitur; 2) librarii etiam, quum formulae illae desinant in *ὑμῶν, ὑμᾶς*; 3) oratio fit admodum jejuna, si haec verba desunt, quia praecedit *μισήσεις τ. ἐχθρ. σ.*

τοῖς μισοῦσιν] alii leg. *τοὺς μισοῦντας*. Utrumque recte dicitur et Codd. confirmatur, ita, ut nescias, utra lectio praeferenda sit.

διωκόντων ὑμᾶς] haec in universum dicta sunt; minime cogitandum est de delatoribus et calumniatoribus apud magistratus.

vs. 45. *ὅπως κτλ.*] ut filii sitis i. e. ei similes (nam genuini filii parentum mores referre solent) in eo, quod solem suum oriri jubet malis et bonis etc.

ὅτι ἀνατέλλει] alii, *ὅτι* h. l. esse i. q. *ὅς* ex more Hebraeorum — כִּי et אֲשֶׁר — minime gentium! alii i. q. enim, ut de Wettius; alii *ὅτι* pro *ὅτε* interdum dici opinantur. Nullo modo! Sed ut, quod rei est, dicamus, np. interdum has voces confundi a librariis.

NB. *ἀνατέλλειν* hl. oriri jubere, ut *βασιλεύειν τινα*, regem aliquem facere, *καίειν*, incendere, *μαθητεύειν*, discipu-

lum facere, *θριαμβεύειν*, triumphum alicui concedere. Sic jam Casaubonus.

Senec. de Benefic. 4, 26. Si Deos imitaris, da et ingratis beneficia. Nam et sceleratis sol oritur et piratis patent maria.

vs. 46. *ἐὰν ἀγαπ. τ. ἀγαπ. ὑμᾶς*] perperam nonnulli subintell. *μόνον* post *ὑμᾶς*, quo gravitas sententiae minuitur.

τίνα μισθόν] quid praemii habetis np. in regno Messiano? = nullum habetis praemium. de Wettius: *sittlichen Lohn, sittliche Befriedigung.*

οἱ τελῶναι] (a *τέλος*, vectigal. et *ὠνέομαι*, qui vectigalia redimit.). Equites Romani conduxerant vectigalia publica, unde Publicani dicti sunt. His suberant portitores, qui a mercatoribus, nautis, carrhucariis aliisque tributa exigebant. Quod quum turpissimo lucri studio ducti acerbe atque inique facerent, omnibus hominibus maxime erant invisi, inprimis Judaeis, sive e Gentilibus essent sive e Judaeis. Quare in N. T. eodem numero habentur, quo *ἁμαρτωλοί*, *πόρναι*, *ἅρπαγες*, *λῃσταί*, i. e. nequissimi, scelestissimi homines.

Sens. hl. nihil facitis, quo turpissimis, scelestissimis ac pessime audientibus hominibus, portitoribus, praestetis.

vs. 47. *τοὺς ἀδελφοὺς ὑμῶν*] hl. populares vestros.

τί περισσόν κτλ.] i. e. nil eximii facitis; nam vel gentiles (qui ex vestra sententia nullo numero sunt,) sic agunt (np. ut populares suos salutent) = idem faciunt.

vs. 48. *ἔσεσθε κτλ.*] alii (Bretschn., de Wett.): estote igitur (*οὖν*, quum ille amor nihili sit,) perfecti sincere alios amando, quemadmodum Deus in vos integerrimus est. At ejusmodi sententia denuo repetita admodum languida esset. Potius cogitandum est, Christum omnia quae antea dixerat in unum collegisse, h. m., ut

alii: confido, fore vos perfectos, omnibus numeris absolutos (np. omnibus vitiis Pharisaeorum legisque interpretum non solum declinatis, verum etiam ad similitudinem perfectissimi numinis adspirantes). Plato: *τέλος τῶν ἀγαθῶν τὸ ὁμοιωθῆναι θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν.* 1 Cor. 14, 20. Col. 1, 28. 4, 12. Ephes. 5, 1.

Summum argumentum totius capitis est igitur hoc: fortunatos beatosque praedicandos esse, quicunque cum animi sinceritate, maximo studio divinoque furore, contemtis rebus humanis, id quod verum justum honestum ac fas sit expetant, quibus virtus ac pietas vel vita potior sit; nam hi certissime potiantur beatitudine Messiana. 1—12.

Id autem ab apostolis omnium maxime exspectari efflagitarique ob gravissimam, quae iis demandata sit, provinciam, np. ut docendo agendoque reliquis hominibus ad beatitudinem Messianam exemplum praeeant. 13—16.

Non solum legem Mosaïcam, quam Messias vi sua privare et abrogare ne cogitaverit quidem, recte observandam esse et magnopere fugiendas vanas perversissimasque interpretationes, quas Pharisaei legisque periti impio ore protulerint, sed longe majora pietatis incrementa capienda: paucis, discipulis suis eo esse enitendum, ut perfectam perfectissimi numinis imaginem referant.

Cap. VI, vs. 1. τὴν δικαιοσύνην] (al. leg. ἐλεημοσύνην, quam lectionem recte cum Grot., Mill. et Griesb. al. pro interpretamento habueris, ex seqq.) hl. non est beneficentia, sed virtus, sanctitas in universum, quatenus (a vs. 1 — 18.) in beneficiis recte collocandis ac Deo pie colendo cernitur.

πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς] ut ab iis (cum voluptate, applausu) spectemini, np. ut facere solent, qui auram populi colligunt.

εἰ δὲ μήγε] sed nisi forte, nisi quidem, np. vobis caveritis, ne etc. = alioquin.

παρὰ τῷ πατρί] judice patre vestro coelesti. Innuitur hl. norma, ad quam reliqua in N. T. de moribus praecepta exigenda et judicanda sunt.

vs. 2. οὖν] quae quum ita sint, np. virtutem per se esse expetendam et pietatem quae sese jactet esse nullam omnique carere fructu.

μὴ σαλπίσῃς] alii (Kunoel., Bez., Moldenh.): „ne tuba cani ante te cures", opinantes, Pharisaeos stipem pauperibus daturos revera buccinatoribus usos fuisse, ut hominum multitudo conflueret. (At deest testimonium histor.).

Alii: ne pauperes buccina canere sinas. cf. Niebuhrius *Reisebeschr.* t. 1. p. 181 sq. (At hl. de collatoribus beneficiorum sermo est.)

Alii (Chrysost., Theophyl., Euthym., de Wett.): noli buccina canere in stipe eroganda i. e. magno cum strepitu beneficia in pauperes conferre, s. populum testem quaerere, ut Grot. Sic hl.

ἔμπροσθέν σου] hoc modo, ut strepitus, rumor te antecedat.

ἐν ταῖς συναγωγαῖς] alii (Grot., Wolf., Kuhnoel., Wahl.) de quibusvis hominum conventibus dictum censent;

alii pr. in conventibus sacris, ubi Pharisaei in usum pauperum stipem colligere solebant.

ἀπέχουσι τ. μ. αὐτῶν] ut Latinorum: habeat sibi; igitur hl. recte Fritzschius: habent suum praemium totum — *sie haben ihren Lohn weg.* Cic. Tusc. 2, 26. Mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quae sine venditatione et sine populo teste fiunt, — — nullum theatrum conscientia majus est.

Sens. Quicunque in beneficiis in pauperes conferendis pio sensu ducitur, ex ordine rerum morali suum percipit fructum; quicunque autem honoris studio ducitur, ex eodem rerum div. ordine nullum percipit fructum.

vs. 3. μὴ γνώτω κτλ.] non solum alios, sed temetipsum, si fieri possit, liberalitas tua fugiat i. e. ne cogitandum quidem est, quodnam emolumentum inde ad te redundet. — Benefac quam potes occultissime. Grot.

vs. 4. ἡ ἐλεημ. ἐν τῷ κρυπτῷ] i. e. ut beneficia tua in occulto sint, homines fugiant.

ὁ βλέπων ἐν τ. κρ.] alii (v. c. Grot.): qui occulta s. quae in loco occulto fiunt, videt. At tunc scribendum erat τὰ ἐν τ. κρ.;

alii (recte): qui in occulto, tenebris videt; igitur etiam, quae in tenebris fiunt — *der (auch) im Verborgenen sieht.* (Fritzsch.)

αὐτὸς ἀποδ.] ipse (non alius) referet tibi praemium; alii αὐτός excludunt et revera, salvo sensu, abesse potest.

ἐν τῷ φανερῷ] alii: quando Messias ad judicium illud solemne habendum rediturus est;

alii: in hac et futura vita, in conspectu hominum s. palam.

vs. 5. οὐκ ἔσῃ] alii: ne sis;

alii: non opinor, te futurum esse e numero s. animo simulatorum.

ὅτι φιλοῦσιν] alii suppl. δῆλον, s. ὁρῶμεν γάρ, s. ὅτι expl. enim.

alii: (sic hl.) in eo, quod amant = lubenter fundere solent preces.

ἐν ταῖς συναγ. κτλ.] in conventibus sacris et angulis viarum i. e. compitis, triviis = locis hominum frequentia celebratis (up. si forte fortuna vel ex clandestinis eorum consiliis hora adest precandi).

στῶτες] excepto enim luctu Judaei preces fundere solebant stantes. Hinc perperam nonnulli conjecerunt, leg. esse

φιλοῦσιν στῆναι (omisso προςευχ.), quia preces fundere jam insit in voce στῆναι. At id nullibi significat, sed semper additur quid, ut coram Deo; hebr. עָמַד לִפְנֵי־יְהוָה.

ὅπως ἂν φανῶσι] i. e., ut, si fieri possit, (nam etiam contrarium fieri potest,) in oculos hominum incurrant.

Alii, ut Fritzsch., ἂν excludunt, quia hoc modo sententia certior fiat et ἂν facile oriri potuerit ex sq. φανῶσι.

vs. 6. εἰς τὸ ταμιεῖόν σου] alii (male!) intell. ὑπερῷον, superiorem aedium apud Orientales partem, ubi convenire solebant ad res secreto agendas;

alii conclave quodcunque, חֶדֶר. Grot.

ἐν τῷ φανερῷ] alii: dabit tibi (quod petieris,) palam; alii: pietatem solemniter tibi remunerabitur.

Sens. In precibus ad Deum fundendis ab omni simulatione, atque ostentatione abstinendum est, quoniam ejusmodi preces nullum afferunt fructum.

Praeterea autem fugienda est omnis in precando loquacitas.

μὴ βαττολογ.] (alii a בָּטָא, copiose praebuit; alii a בַּדִּים; alii a Batto quodam sive poëta loquaci sive rege Cyrenaico balbutiente; alii a voce graeca sonum balbutientium imitante repetunt,) balbutire, garrire; h. l. verbosis uti precibus.

δοκοῦσι γάρ] minime cum aliis: putant enim, sed: opinantur, *sie wähnen.*

ἐν τῇ πολυλ.] alii: propter; alii: per loquacitatem suam.

vs. 8. ὁμοιωθ. αὐτοῖς] sc. Gentilibus. Sens. Gentiles opinantur, se per verborum copiam votorum suorum fieri posse compotes, ac si Deus, tanquam homo, continuis precibus permotus vel quasi defatigatus, precibus eorum annuat. Abjicite hanc perversam mentem; nam Deus, quae opus habetis, ante novit.

Terent. Heaut. 5, 1. 6. Ohe, jam desine Deos, uxor, gratulando obtundere. — — — — Illos ex tuo ingenio judicas, ut nihil credas intelligere, nisi dictum est centies. — Juvenal. X, 7. Si consilium vis: permittes ipsis expendere numinibus, quid conveniat nobis rebusque sit utile nostris. Nam pro jucundis aptissima dabunt Di. Carior est illis homo, quam sibi; nos animorum impulsu et caeca magnaque cupidine ducti — — petimus — —; orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

Jam proponit suis brevissimam precandi formulam.

vs. 9. οὔν] i. e. alienissimi a loquacitate illa, preces fundite hunc in modum. (Grot. in hunc sensum; alii: hoc animo.)

ὁ ἐν τ. οὐρ.] numen celsissimum, augustissimum.

ἁγιασθήτω] alii (Pfannk.): impios puniendo pios beando sanctitatem tuam demonstra.

alii ad praecepta de moribus referunt: leges div. observando colaris. At repugnat sq. γεν. τ. θέλημα σ.

alii (de Wett.), naturam summi numinis sanctam cognoscere Deumque profiteri.

alii (recte!) omnino ad quemvis honorem et cultum, qui summo numini debetur, ref.

τὸ ὄνομα σοῦ, ἡ βασ. σοῦ, τ. θέλ. σοῦ (non σου) cum Fritzschio leg. esse statuimus, quia alia aliis mente opponuntur h. m. tuum nomen (non aliorum, commentitiorum Deorum); tuum (non aliud) regnum; tua (non hominum) voluntas.

vs. 10. ἐλθέτω ἡ βασιλεία σοῦ] alii (Grot., Kunoel.): doctrina tua majora capiat incrementa;

alii: regnum Messianum; quae res Judaeis gravissima erat nec facile poterat omitti in precibus, et Christus id proxime abesse jam significaverat.

γενηθήτω τὸ θέλημα σοῦ κτλ.] alii (cum Grotio): fiat quidquid tu de nobis statueris, sive consilia, decreta providentiae tuae aequo feramus animo, quae quemadmodum rata fiunt in coelo, sic etiam in terra;

alii: ut in coelo morem tibi gerunt stellae np. cursum suum tenentes (stellae quasi sunt Jehovae satellites,) — *wie am Himmel.* — Sic Greilingius in l. *Das Leben Jesu.* Lucanus sapientis animum ita se habere ait: sicut coelestia semper

Inconcussa suo volvuntur sidera motu.

alii (recte!): fiat id quod tu vis, ut in coelo (sc. ab angelis), etiam in terra (ab hominibus).

(καὶ ἐπὶ τ. γῆς, καὶ minime signif. i. q. οὕτως).

Ex mente de Wettii tres priores preces continent: *„Die Sehnsucht nach dem Reiche Gottes, das 1) in der Erkenntniss (?), 2) in der Gemeinschaft, 3) in der That verwirklicht werden soll.*

cf. Bauerus, *Exegetische praktische Bemerkk. über die dritte Bitte in* Suskindii Magaz. fasc. 14. p. 39 sq.

Sens. Nihil nobis magis curae cordique esse debet, quam ut tuae voluntati, tuis legibus ac praeceptis omni ex parte satisfiat.

vs. 11. τὸν ἄρτον] h l. alimenta ad vitam sustentandam necessaria (Olshaus. „pabulum animi").

τὸν ἐπιούσιον] Haec vox antiquis Graecis omnibus ignota aliis derivatur ab οὐσίᾳ; aliis ab ἔπειμι (advenio, sequor); aliis ab ἔπειμι (paratus sum). Hinc variae hujus l. interpretationes.

1) Ex iis, qui ab οὐσίᾳ derivant, ut Bez., Schleusn., Kunoel., al. et jam antiquitus

a. Hieronym. h. m. panem supersubstantialem (Joh. 6, 32.) i. e. da nobis Christum, panem, quo indigemus, omnibus numeris absolutum;

b. Etymolog. Magnum, Euthym., Theophyl. ὁ ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων i. e. victus naturae nostrae consentaneus et necessarius;

c. Chrysost. ὁ ἐπὶ τὴν οὐσίαν τοῦ σώματος διαβαίνων καὶ συγκρατῆσαι ταύτην δυνάμενος i. e. qui in naturam corporis nostri transeat. — At omnis victus hoc modo transit corpusque alit.

Alii, ut Pfannk. (in Eichhornii Biblioth. vol. 10. p. 864.) et Bretschn. (sub h. v.), vitio scribae pro: ἄρτον ἐπὶ οὐσίαν temere τόν e voce ἄρτον repetitum esse; scribendum igitur: ἄρτον ἐπὶ οὐσίαν i. e. cibum ad vitam sustentandam idoneum, sufficientem. — At repugnat eadem in Codd. scribendi ratio et locus parallelus Luc. 11, 3.

Alii (Ambros., Grot., Scalig., Fabric., Wetsten., Fisch., Valken.), a foeminino (ἡ) ἐπιοῦσα (ἡμέρα) i. e. dies, qui instat, sequens, pro: ὁ ἄρτος τῆς ἐπιούσης ἡμέρας h. m. da nobis hoc, quo precamur, die victum, qui crastini diei usibus sufficiat. At haec sententia repugnaret l. Matth. 6, 34. Quamquam probabilis esse videtur. — Hieronymus consultum a se scribit Hebr. Evangelii Codicem, quo Nazareni i. e. Christiani hebraizantes utebantur ibique reperisse sese מחר i. e. crastinum.

NB. Alius denique conjecit: τὸν ἄρτον τὸν ἐπὶ οὐσίαν s. οὐσίᾳ i. e. panem qui ad corpus alendum sufficit.

Sens. Da nobis, Deus, victum, qui aetati in posterum agendae sufficiat; et si non placet dare annua, da menstrua, da saltem diurna: quidquid ultra dabitur, id erit adventitium. — Abesse vult Christus diffidentiam et aviditatem; nam homines, quo minus viae restat, eo plus quaerere solent viatici. Grot.

vs. 12. ὡς καὶ ἡμεῖς] alii: similiter, οὕτως, ut Olear.; alii: quemadmodum, ut Erasm.;

alii: nam, quoniam, ut Fritzsch. h. m. nam ipsi quoque iis qui in nos peccarunt condonamus i. e. digni sumus tua venia, quum et ipsi ignoscere solemus. (?)

vs. 13. καὶ μὴ εἰςενέγκῃς κτλ.] alii: ne inducas nos in tentationes;

alii: ne introducas nos in tentationes, casus, pericula, ut iis succumbamus. Grot. cf. Jacob. 1, 13.

ἀπὸ τοῦ πονηροῦ] alii: eripe nos e malis, calamitatibus (Luther.);

alii: e malo;

alii: eripe nos Satanae, tentationum auctori (Matth. 13, 9. Ephes. 6, 16.). Sic jam Grot.

ὅτι σοῦ ἡ βασιλ. κτλ.] nam tu, numen sanctissimum et augustissimum, voluntati nostrae satisfacere potes. Minus recte alii ante ὅτι suppl. οἴδαμεν γάρ.

Hanc doxologiam edit. Complut., Erasm., Camer., Grot., Mill., Beng., Wetst., Griesb., Fritzsch. delendam esse censent sive Lucae (11, 4.), qui nullam habet (ex mente Matthaeii), subtractam, sive ex consuetudine ecclesiastica librisque liturgicis illatam, et nexum sententiarum (cf. vs. 14.) turbantem.

Quaeritur, cur Christus hanc precum formulam cum suis communicaverit?

Alii (v. c. de Wett.), Jesum apostolis et asseclis suis brevem hanc precum formulam ut symbolum, archetypum novae reipublicae sacrae in perpetuum proponere, sancire voluisse. cf.

Möllerus, *Neue Ansichten schwieriger Stellen der vier Evangelisten.* p. 43.

Pfannkuchius, *Ueber die Gebetsformel der Messiasschüler* in Eichhornii Biblioth. vol. 10. p. 845.

Alii, Jesum suos edocere voluisse, quaenam potissimum et quomodo a Deo, O. M., petenda sint. cf.

Noesseltus, Observatt. ad orat. domin. p. 41.

Schulzius, *Anmerkungen über Michaelis Anmerkk.* ad h. l.

Kunoelius ad h. l.

Alii, Jesum, quum haec oratio haud pauca contineat, quae etiam in libris rabbinicis legantur, hac re cavere voluisse, ne quid novasse videretur. cf.

Wolfius ad h. l. At Rabbini poterant etiam, ut ipse Wolfius docuit, similes dicendi rationes, ex hac Jesu oratione sumere.

Möllerus, *neue Ansichten* etc. p. 39. (*ein Interimsgebet.*)

Praeterea cf. **Bottus**, de natura et indole orationis mont. p. 20.
Ravius, de oratione dominica, an — praecipue apostolis fuerit destinata, Erlang. 1804.
de Wettius: *Es enthält den Inbegriff aller möglichen Gebete, das rechte Verhältniss aller geistlichen und weltlichen Bitten.*

Nostro in loco Jesus brevitatem, ut e toto nexu patet, in precando suis commendare voluit. Idem commendavit etiam Socrates eundemque animum prodidit apud Xenophont. Memorabil. 1. *εὔχετο πρὸς τοὺς θεοὺς ἁπλῶς τ' ἀγαθὰ διδόναι, ὡς τοὺς θεοὺς κάλλιστα εἰδότας, ὁποῖα ἀγαθά ἐστι.*

Poëta apud **Platon.** Alcibiad. 2. *Ζεῦ, βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις Ἄμμι διδοῦ· τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν.*

vs. 14. *γάρ*] minime redundat (ut **Kunoel.**) neque, ut in aliquot Codd. factum est, omittendum; etenim sententiae hoc modo cohaerent: si quam culpam contraximus, da nobis veniam, quia et nos aliis veniam damus vs. 12. ne novam contrahamus, tu ipse nobis prospicias vs. 13. — (haec verba obiter intexuit); nam si aliis peccata condonamus etc.

vs. 15. Hunc versum **Zegerus** delendum censuit, quia Patres eum non habeant. Temere!

vs. 16. *νηστεύειν*] h. l. de jejuniis privatis, non publicis (**Grot.** al.), quibus Pharisaei nullum cibum sumebant ante solis occasum, et tunc non nisi oleribus et ovis vescebantur; usum uxorum sibi interdicebant, quid quod spinas sibi substernebant, quo minus conquiescerent.

σκυθρωποί] solebant enim in jejuniis tristitiam suam ore, habitu corporis significare.

ἀφανίζουσι] ora sua cinere, squalore, deformando quasi e conspectu hominum removent, tollunt. Jes. 58, 5.

ὅπως φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις] alii (**Wahlius**, **Vaterus**) i. q. *ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων*, ut ab hominibus conspiciantur; alii: ut appareant hominibus jejunium agentes.

vs. 17. Judaei aliique antiquitatis populi in conviviis ac commessationibus caput unguere et faciem lavare solebant. Hanc laeti animi significationem in ipso jejunio prodendam esse docet, saltim praeferendum vultum et habitum quotidianum.

vs. 18. *τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ*] alii: Deo, qui versatur in occulto;
alii, ut **Fritzsch.**, ref. ad *νηστεύων* h. m. ne in hominum, sed in Dei gratiam a cibis abstinere videare eo, quod clam inediam in te suscipias;
alii (**Paul.**, **Griesb.**) leg. *τῷ ἐν τῷ κρυφαίῳ* — Deo occulto.

6*

Quae sequuntur, non arcte inter se cohaerent. Nam, quae **Tholuckius** de adspirando ad similitudinem cum Deo disputavit, sumuntur, non probantur.

vs. 19. *θησαυροὺς*] **alii** (**Bochart.**) vestimenta; **alii** (**Elsn.**) frumentum; **alii** (**Grot.**) aurum et argentum; **alii** (**Kuinoel.**) vestimentorum, frumenti, auri argentique copiam; **alii** (**Kypk.**, **Paul.**) divitias omnino intelligunt. hl. improbatur *φιλαργυρία*, pecuniae studium.

σὴς καὶ βρῶσις] **alii** per ἓν διὰ δυοῖν i. q. tinea corrumpens;

alii *σής* ad vestes et *βρῶσις* (de verniculo quodam) ad fruges;

alii *βρῶσιν* aut ad animal quoddam aut ad aeruginem metallorum referunt;

alii: ubi tinea et erosio (sp. cujusvis generis) corrumpit, *wo Motten und Zernagung vernichtet.* Sic rectissime **Fritzsch.**

vs. 20. *θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ κτλ.*] **alii**: opes coelestes = *τοὺς ἐν οὐρανῷ*;

alii (recte!): in coelo. Sens. Nolite opibus inhiare hujus terrae, sed virtute diligenter expetenda comparate vobis opes, quibus in coelo fruamini (de **Wett.** *ζωὴ αἰώνιος*).

vs. 21. *ὁ θησαυρός σοῦ*] tuus thesaurus, res ex tua quidem sententia gravissima, pretiosissima;

alii (**Griesb.**) leg. *ὁ θησ. ὑμῶν — ἡ καρδία ὑμῶν*: **Fritzsch.** defendit lectionem *ὁ θησ. σοῦ — ἡ καρδ. σοῦ*, quia Jesus a praeceptis auditoribus antea datis, nunc ad locum communem transierit. Recte quidem, sed idem etiam manet sensus, illa **Griesbachii** l. probata.

Sens. Qua in re cui finis bonorum esse videtur, ad eam omnibus viribus fertur.

vs. 22. *ἁπλοῦς*] simplex, integer.

vs. 23. *πονηρός*] hl. aeger, hebetatus.

τὸ φῶς τὸ ἐν σοί] i. e. mens, quae luce frui debet, s. quam recte cum luce contenderis.

Sens. Multum profecto refert, utrum mens, luce div. collustrata, rerum div. studio flagret, an rerum terrestrium cupiditate occaecata ad res ducatur terrenas; et verissimum est, quod dixi: quod quis pro summo bono habet, in eo potissimum elaborandum esse censet. — At fortasse hic vs. cum priore non cohaeret.

vs. 24. *οὐδεὶς*] alii suppl. *δοῦλος*. At id jam inest in voce *δουλεύειν*.

δυσὶ κυρίοις κτλ.] recte Chrysostomus: *δύο κυρίους, τοὺς τὰ ἐναντία ἐπιτάττοντας λέγει ἐνταῦθα ὁ χριστός· ἐπεὶ εἰ μὴ τοῦτο εἴη, οὐδὲ δύο ἂν εἶεν.*

ἢ γὰρ τὸν ἕνα κτλ.] alii (Grot.): non posse quemquam duobus servire dominis; nam futurum, ut aut hunc amet, illum oderit, aut certe alterum curet neglecto altero;

alii (Casaub.): quia vel unum odio habebit alterum amans, aut etiam, licet utrumque amet, fieri poterit, ut dum in alterius voluntate exsequenda erit intentior, erga alterum se gerat negligentius;

alii (Erasm. et Beza): aut enim unum illum spernet, alterum curabit, aut illum unum curabit, et alterum spernet. Recte! Nam *μισεῖν* et *καταφρονεῖν, ἀγαπᾶν* et *ἀντεχ.* eadem vi dicta sunt.

ἢ ἑνὸς ἀνθ.] id esset unus aliquis ≐ *τις*: legendum est *τοῦ ἑνός*, cui respondet *ὁ ἕτερος*.

οὐ δύνασθε] alii hoc modo: *ὥσπερ οὐδεὶς δυν. —— δουλεύειν, οὕτως οὐ δυν.* At non opus est, ut hac ratione sententiae nectantur; nam ab exemplo ad communem locum transit.

μαμωνᾶς] (chald. מָמוֹנָא) hl. praeses divitiarum, *Πλοῦτος*.

Sens. Nemo potest Deo et Pluto i. e. rebus div. et humanis simul inservire; alterum alteri necessario aut praeferendum aut postponendum est.

vs. 25. *διὰ τοῦτο*] i. e. quia alterutri tantum inservire potestis, nolite morem gerere Mamonae s. quia non potest animus simul in pietatis et divitiarum studia intendi. Grot.

μεριμνᾶν τῇ ψυχῇ — τῷ σώματι] sollicitum esse propter vitam — propter corpus s. vitae et corporis causa.

Sens. Noli rerum terrenarum cura exagitari; nam numen potentissimum ac benignissimum, quod vitam et corpus tibi dedit, etiam minoris momenti res, victum et vestimenta suppeditabit.

vs. 26. *τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ*] עוֹף הַשָּׁמַיִם, quia superiores coeli regiones petunt, sub dio vivunt.

ὅτι] neque i. q. *ἅ*, neque etsi, quamquam, sed quod.

καὶ ὁ πατήρ] alii (male!) et tamen; hl. et.

μᾶλλον διαφ.] alii (Erasm., Bez., Kuinoel): nonne vos multum iis praestatis?

alii (Fritzsch.): nonne vos potius, quam illae excellitis?

Sens. Abjice perversam rerum terrenarum curam; nam si aves, mente destitutae cibum suum inveniunt, tu mente praeditus, quae ad vitam sustentandam necessaria sunt, multo facilius invenies, tibi comparabis, sub Dei auspiciis.

vs. 27. ἡλικία] alii de statura (Chrysost., Euthym., Bez., Grot., Beng., Elsn.), quia hic a minori majus concluditur, et ob voc. πῆχυν.

alii de aetate (Wolf., Wetst., Kunoel., Paul., de Wett.), quia hoc in loco sermo sit de re quae homini maximi pretii sit. hl. vita nostra a summo numine pendet, in quo omnis spes collocanda est ac fiducia.

Sens. Haec sollicitudo insuper vana est, quia nihil proficitur.

vs. 28. τὰ κρίνα] hl. non de certa liliorum specie, sed de liliis in universum.

τοῦ ἀγροῦ] quae sponte sua nascuntur in agris; opp. quae in hortis aluntur.

Alii interpungunt hoc modo: πῶς αὐξάνει· οὐ κοπιᾷ· οὐδὲ νήθει; At multo melius sic: πῶς αὐξάνει; οὐ κοπιᾷ οὐδὲ νήθει. Observate lilia agrestia. Quo ea pacto crescunt? Non laborant neque nent. Fritzsch.

vs. 29. δόξα] hl. non de solis vestimentis (ut Paul., Kunoel. al.), verum de omnibus ejus ornamentis ac splendore regali. cf. 2 Chron. 9, 15. — Sub Salomone res Judaeorum erant florentissimae ob longam pacem et navigationem in terras auriferas. Grot.

vs. 30. χόρτος] Fritzschius: neque de stipulis et fruticibus neque de lilio, sed de gramine, herba. Christus a specie transit ad genus; de Wettius: non nisi de liliis ob folia, quae habent, cum gramine compositis intelligendum esse opinatur.

βαλλόμενον] alii non bene: conjiciendum. hl. quod conjicitur.

Sens. Si Deus rebus inanimatis prospicit, quanto magis hominibus!

vs. 32. Ejusmodi cura profecto abesse debet ab hominibus, qui verum Deum norunt.

πάντα ταῦτα] omnia haec i. e. omnia et haec et similia.

ὅ, τι χρῄζετε (non leg. est: ὅτι χρῄζ.)] quatenus (*in wie weit*) horum omnium indigeatis. Fritzsch.

vs. 33. πρῶτον] (quod neque i. q. πρότερον, ut nonnulli Codd. et Interpretes voluerunt, neque cum Griesbachio al. delendum est) ex mente Christi est: quod primum est

et ad vos pertinet, curate res div.; alterum autem, quod ad Deum pertinet, np. res suppeditare terrenas, Deus curabit. Minime sic; primum curate res div., deinde res terrenas. Homo enim vere Christianus etiam in rebus humanis, terrestribus administrandis non nisi divinum et sublime sequitur.

vs. 34. εἰς τὴν αὔριον] non i. q. τὰ εἰς τὴν αὔριον. hl. in diem crastinum.

ἡ γὰρ αὔριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς]. cf. Wineri Gr. p. 144. Matthiae §. 437. 4. Alii, v. c. Fritzschius, sejungenda esse censent τὰ ἑαυτῆς et copulanda cum ἀρκετὸν τῇ ἡμ. h. m. crastinus dies curabit, np. quae curanda sunt: suum cuique diei sufficit, np. malum, s. calamitas ejus. Disputarunt Interpretes, utrum hoc loco in universum de cura in crastinum diem s. futurum sermo sit, an tantummodo de cura nimis sollicita in posterum. Nobis videtur mens Salvatoris haec esse: qui quotidie officiis suis satisfacit, eum etiam hac ipsa re rebus futuris optime prospicere.

Argumentum totius capitis est hoc:

Primum, virtus, omnino per se expetenda, alienissima esse debet ab omni ostentatione: igitur neque beneficentia in pauperes cum strepitu exercenda neque preces in conspectu hominum faciendae (in quibus praeterea brevitati studendum, quod exemplo docet,) neque jejunia tetrica vultu agenda sunt. Quae omnia clam rectius feceris. 1—18.

Tum docet, animum avocandum esse a studio rerum terrestrium; nam has esse caducas, impedimenta rerum div., nihil profici sollicita harum rerum cura et Deum ipsum necessaria ad vitam pro benignitate sua hominibus largiri (id quod exemplo ab avibus, liliis et gramine petito illustrat. Denique monet, nihil magis expetendum esse, quam ut ad beatitatem Messianam per pietatem adspires. 19—24.

Cap. VII, vs. 1. κρίνειν] alii (Theoph., Euthym., Kuinoel.) i. q. κατακρίνειν, condemnare improbitatis;

alii (Chrysost.): οὐχ ἁπλῶς τὰ πάντα τὰ ἁμαρτήματα κελεύει μὴ κρίνειν οὐδὲ ἁπλῶς ἀπαγορεύει τὸ τοιοῦτον ποιεῖν, ἀλλὰ τοῖς μυρίων γέμουσι κακῶν καὶ ἄλλοις ὑπὲρ τῶν τυχόντων ἐπεμβαίνειν. Homil. 23.;

alii: nolite omnino vitam aliorum judicare, quoniam id non hominis est, sed Dei omniscii.

hl. rigide judicare. Grot.

vs. 2. ἐν ᾧ] non i. q. ᾧ, sed per.

vs. 3. τὸ κάρφος] hl. errata, vitia leviora. δοκός] vitia graviora. Simili modo Seneca (de vita beat. c. 27.): papulas observatis alienas obsiti ulceribus.

τί βλέπεις] alii (Beza), acute et cum suspicione videre; alii, videre, observare aliorum vitia tuis neglectis.

vs. 4. ἢ πῶς ἐρεῖς] alii: qua fronte;

alii: quomodo dices i. e. nullo modo poteris nisi maligno es animo et simulationis pleno.

ἄφες, ἐκβάλω] perperam alii pro: ἄφες, ἵνα ἐκβ. hl. permitte, eximam.

Cicero in Verr. 3, 1. Qui sibi hoc sumsit, ut corrigat mores aliorum atque peccata reprehendat, huic quis ignoscat, si qua in re ipse a religione officii aberraverit? — Non modo accusator non, sed ne objurgator quidem ferendus est is, qui quod in altero vitium reprehendat, in eo ipse deprehenditur. Tusculan. quaest. 3. Stultitiae proprium est aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.

Horat. Sermon. 1, 3, 25.

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius. At tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.

vs. 6. τὸ ἅγιον] hl. neque de carne victimarum (ut Paul., Tholuck.), neque de probitate neque veritate, amore, doctrina Christi neque de inauri (ut Boltenius, qui chald. קְדָשָׁא perperam a gr. interprete versum esse opinatur,) intelligendum, sed simpliciter: sanctum quodvis.

τοῖς κυσί] hl. hominibus profanis, impudentibus. μαργαρῖται] uniones, quae pondere, colore, levore, magnitudine aestimari solent. hl. res pretiosae.

χοῖρος] hl. homo impurus, impudicus. καταπ.] hl. maxime spernere, respuere, profanare.

ἐν τοῖς ποσίν] alii: inter pedes; alii: per pedes (recte!).

στραφέντες] alii: e mitibus acriores facti; alii (recte): versi contra vos.

Alii καταπατήσωσιν ad sues, ῥήξωσιν ad canes referunt, quos jam Erasmus refutavit.

Alii sensum sic constituunt: Quicunque dictis factisve indignos sese praebent opera et institutione vestra, iis nolite porro exponere doctrinam meam. (Wahl., Kunoel.)

Alii: In rebus sanctis cum aliis communicandis caute versan-

dum est, ne ab hominibus malis impurisque profanentur, neo pro accepta gratia pernicies tibi afferatur.

vs. 9. ἢ τίς κτλ.] Inest anacoluthon; pr. an est e vobis homo, quem si rogaverit filius panem, num lapidem ei dabit? ...

vs. 11. πονηροί] alii (Kunoel.): avari;

alii (Chrysost., Euthym. Zig., Grot., Fritzsch.): mali, np. si cum Deo, O. M. eos contenderis.

οἴδατε διδόναι] alii i. q. δίδοτε, ut Kunoel.;

alii: dare soletis, ut Wetst.;

alii: scitis dare.

vs. 12. οὖν] ref. ad omnia quae inde a vs. 1. dixerat h. m. si vera sunt, quae dixi — sunt autem verissima —, reliquum est, ut hanc legem vobismetipsi detis: quaecunque ut vobis homines praestent velitis, vos quoque praestate iis.

οὕτω ante καὶ ὑμεῖς] delendum est ob nexum.

οὕτως γάρ] sic sunt np. comparati i. e. sic jubent, praecipiunt. Non leg. οὗτος. Amat Matth. ejusmodi formulas v. c. ἡ γένεσις οὕτως ἦν.

vs. 13. ὅτι πλατεῖα] nam lata est illa porta — quae ducit ad perniciem (mortem, miseriam aeternam); igitur per hanc non ingrediendum est.

vs. 14. τί στενή] alii leg. ὅτι στενή (inepte!);

alii τί interpret. valde, admodum, vel ὡς, ut Grot. = quam angusta est porta!

alii (Fritzschius): cur? ita, ut Christus cum dolore dixisse cogitetur: cur angusta est porta et arctata via vitae aeternae felicitati adducens et cur pauci sunt qui eam (np. ὁδόν, non αὐλήν) inveniant?

vs. 15. ψευδοπροφῆται] alii: impostores in universum, qui errores spargunt et auram populi captant, i. q. ψευδοδιδάσκαλοι 2 Petr. 2, 1.

alii (Grot.): qui se Christi sectatores profiterentur, sed falsam propagantes doctrinam atque exitialem.

ἐν ἐνδύμασι προβάτων] alii, vestes ex pellibus ovinis confectas; alii, vestes, quibus utuntur oves = pelles ovinas intell. Bene. Hebr. 13, 11. Rom. 16, 18.

vs. 16. ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν] alii: a fructibus eorum (non doctrina, sed vita,); alii: ab ipsis fructibus, ut Fritzsch.

vs. 17. οὕτω] uti falsos doctores detracta persona malos ex ipsis eorum facinoribus deprehendetis (vs. 16.), ita regula

certa fert, ut bona arbor tantum bonos possit fructus edere. — Fritzsch. Alii, ut de Wett., sic, ut exempla antea commemorata docent.

vs. 18. οὐ δύναται] non potest: igitur illi etiam non possunt — ob perversam suam indolem — etiamsi velint. Chrysostom. ad Rom. — οὐ τὴν ἀπὸ κακίας εἰς ἀρετὴν μεταβολὴν κωλύων, ἀλλὰ τὴν ἐν τῇ κακίᾳ διατριβὴν, λέγων, μὴ δύνασθαι φέρειν etc.

vs. 19. Sens. Hac in re etiam constans est hominum mens, quippe qui malam arborem radicitus evertere atque igni comburere solent.

Alii, ut de Wett. h. vs. ref. ad pestem, quae impostores certissime manet.

vs. 20. ἄραγε] alii: profecto, utique. hl. itaque ergo.

vs. 21. οὐ πᾶς] alii: pauci; alii: non omnes; alii: nemo eorum qui clamitant nec voluntati div. satisfaciunt; h. m. non illud genus hominum, quotquot sunt, qui ita me salutant, sed illa classis, qui meis praeceptis parent, regni coelestis fient compotes. Fritzsch.

vs. 22. τῷ σῷ ὀνόματι] alii (Bez.): vice tua, tuo loco;

alii (Olear.): a te Christiani vocati adeoque ut tui;

alii (Grot.): profitendo nos id facere ad testandam potentiam tuam;

alii (Wolf., Krebs., Fritzsch.): jussu et auctoritate tua.

προφητεύειν] alii docere; alii futura praedicere; alii in universum sacro furore correptum dicere.

δαιμόνια ἐκβάλλειν] i. e. aegrotos sanare, quoniam caussas morborum a malis repetebant daemonibus.

δυνάμεις] potenter facta, miracula.

vs. 23. ὁμολογήσω] alii: dicam, declarabo. hl. aperte dicam.

ὅτι οὐδέποτε ἔγνων] (ὅτι non signif. scilicet, vel simile quid, tantum indicat verba Jesu sequi,) alii: nunquam vos probavi s. pro meis habui, ut Grot. hl. nunquam vos novi i. e. nullam vestrum notitiam habui, vos plane oblivioni tradidi. *Ich habe nie Notiz von euch genommen,* (de Wett.: *ich habe nie mit euch in einer Gemeinschaft gestanden.*).

ἀποχωρεῖν] non est, diris devotum aliquem abire jubere. hl. abscedite.

οἱ ἐργαζόμενοι] vos, qui legem div. migrastis. Haud pauci, ut de Wett., Schneckenb. statuunt hl. esse πρό-

λῆψιν; non verosimile esse monentes, Christum jam verba fecisse de se tanquam judice supremo, quum se Messiam nondum publice esset professus.

vs. 24. οὖν] alii ad vs. 21.; alii ad universam orationem montanam ref. Quoniam satisfacere voluntati div. conditio est, sine qua non etc., inde sequitur, quicunque doctrinam meam audit factisque exprimit, comparari posse etc.

ἐπὶ τὴν πέτραν] super saxum, *über Felsengrund hin.* Etiam Latini proverbialiter dicunt: in arena aedificare.

vs. 25. τεθεμελίωτο] cf. Wineri Gr. p. 37. ed. 2. Summa, inquit Calvinus, huc redit, veram pietatem ab ejus simulatione non bene distingui, donec ad examen ventum est. Tentationes enim quibus probamur fluctibus et procellis similes sunt, quae facile pessundant instabiles animos, quorum levitas tranquillo tempore non perspicitur.

vs. 28. καὶ ἐγένετο] jungenda sunt cum ἐξεπλήσσοντο.

vs. 29. ἦν — διδάσκων] i. e. in docendo perseverabat; alii (male!) i. q. ἐδίδαξε.

ὡς ἐξουσίαν ἔχων] alii: tanquam dominus;

alii: cui, ut Messiae, licebat e sua voluntate decernere;

alii: qui facultate valebat miracula edendi;

alii: qui oratione animos permovebat;

hl. qui facultate docendi valebat, neque ut legis periti, qui jejunis utebantur disputationibus.

A. De consilio orationis montanae.

Distinguendum esse videtur consilium Christi, quod in hac oratione habenda, et Matthaei, quod in ea perscribenda secutus est.

a. Christus sine dubio eam non habuit ad Apostolos suos (cf. c. 10, 5—42., ubi demum peculiaria apostolis dat praecepta,) inaugurandos; nam Matthaeus id nullibi, ne verbo quidem significavit et ex argumento pauca tantum (5, 13. 17. 6, 24. 7, 6—12.) huc referri possunt. Plurima non nisi communes locos continent et multa desunt, quae alias nullo modo abesse possent. Tum secundum Matthaeum Apostoli nondum electi erant. Denique hominum multitudinem interfuisse vehementerque commotam esse, disertis verbis (Matth. 7; 28.) dicitur.

Defenderunt tamen hanc sententiam:

Chrysostomus in homil. in Matth.
Zachariae, *Bibl. Theologie.* vol. 4. p. 478.
Michaelis, *Anmerkungen zu N. T.*

Schmidtius, *Exeget. Beiträge N.* 3.
Hessius, *Gesch. Jesu.* vol. 2. p. 178.
Flattus, *Magaz.* vol. 5. p. 83.
Frotscherus, diss. de consilio quod Jesus in oratione quae dicitur montana habuit. Viteb. 1788.
Storrius, diss. in aliquot loca ll. N. T. historica. P. 1. p. 17.
Pottus, de natura et indole orationis montanae. Helmst. 1788.
Jenichen, diss. de consilio, quod Jesus in oratione — montana — secutus sit. Viteb. 1788.

b. Videtur potius habuisse hanc orationem, ut demonstraret ac moneret discipulos suos, auscultante magna hominum multitudine, quo animo, quibus moribus esse debeant genuini regni Messiani cives; quae vitia declinanda, quae virtutes et quomodo expetendae et exercendae sint ad beatitudinem Messianam consequendam tuendamque.

cf. Rauius, diss. qua inquiritur in quaestionem, an oratio montana apostolorum initiandorum caussa dicta sit. Erlang. 1802.
Ejusd. *Untersuchungen, die wahre Absicht der Bergpredigt betreffend.* Erlang. 1805.
Paulus, *Histor. krit. Comment.* ad h. l. Eodem fere modo etiam de Wettius p. 49.

c. Consilium autem Matthaei fuisse videtur, ut demonstraret, qualis doctor Christus fuerit (c. 4, 23.).

B. Porro quaeri potest, utrum eadem sit oratio, quae apud Lucam 6, 20 sqq. relata legitur, nec ne.

Alii negarunt: Augustinus de consensu evangg. 2, 19. Andr. Osiander., Büsching.

Venema, histor. eccles. vol. 3. p. 42.
Hessius, *Lebensgesch. Jesu.* vol. 1. p. 800.
Grattzius, *Hist. krit. Comment. üb. d. Ev. Matth.* vol. 1. p. 267.
Storrius l. l.

Alii eandem idque rectissime statuerunt; nam idem est exordium, idem sententiarum rerumque ordo et eadem peroratio, quamquam uterque in haud paucis discrepat.

Pottus l. l.
Michaelis, *Einleitung ins N. T.* §. 128.
Paulus ad h. l.
Rauius l. l. de Wettius l. l.

C. Denique quaeritur: utrum sic a Jesu habita fuerit, nec ne. Alii, ut Storrius (l. l.) et Grotius (ad h. l.) affirmant; alii, ut Thiessius, Pottus (l. l.), Eichhornius (*in l. Allgem. Bibl.* vol. 2. p. 352. vol. 3. p. 294. 1050. vol. 6. p. 895.); Boltenius, Wunibaldus (in comm. biblica in sermonem Christi in monte Matth. c. 5 sqq. Heidelb. 1794.), Olshausenius l. l., Hasius negant.

Matthaeus, dicat aliquis, testis fuit oculatus, qui ipse huic orationi interfuit; igitur etiam verum referre potuit. Etiamsi Christus alio loco et tempore similes vel easdem sententias iterum enarravit, inde tamen non sequitur, hanc orationem non eodem modo, quo eam Matthaeus retulit, a Christo esse habitam.

At fortasse Matthaeus, ex more suo (cf. 10. 13. 23.) (sic etiam parabolas, miracula) similes res in unum locum congessit; fortasse more veterum historicorum sententias diversis temporibus et locis prolatas conjunxit, ut specimen doctrinae Christi ac doctoris div. lectoribus suis exhiberet. Apud Lucam haud pauca hujus orationis membra disjecta leguntur. Verum enim vero — etiam hac in re non omnia ad liquidum perduci possunt.

D. Quo tempore et quonam in loco habita sit, etiam certo definiri non potest. Alii statuunt ante (cf. 10, 2 sq.), alii post duodecim apostolorum electionem. De loco e verbis Matthaei non nisi hoc patet, Jesum verba fecisse in monte Galilaeae (ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος) notissimo.

cf. Paulus, Comment. t. 1. p. 492. Ejusd. *Sammlung v. Reisen.* 1, 144. 2, 103.

Michaelis, *Einl.* p. 924.

Tholuckius, l. infra l.

De indole autem hujus orationis cf.

Stolzius, *Geist der Sittenlehre Jesu* etc. 3 voll. Lemg. 1792. 93.

Schroedterus, *Freie Uebersetzung der Bergpredigt mit Anmerk.* Alton. 1796.

Thurnius, *Reine Uebersetzung der Bergpredigt* etc. 2 voll. Lemg. 1799 sq.

Staudlinius, *Geschichte der Sittenl. Jesu.* vol. 1. p. 583.

Kantius, *Kritik der Urtheilskraft.* 3 ed. p. 463.

Tholuckius, *Philolog. theolog. Auslegung der Bergpredigt Christi nach Matth., zugleich ein Beitrag zur Begründung einer reinbiblischen Glaubens- und Sittenlehre.* Hamburg. 1835 (2 ed.).

Sanatio leprosi, servi centurionis, paralytici, Petri socrus aliorumque. Quales asseclae Jesu esse debeant. Tempestas in lacu Galilaeo sedatur ac duo daemoniaci in agro Gadarenorum sanantur.

Cap. VIII, 1—34.

vs. 1. καταβάντι αὐτῷ ἀπὸ τοῦ ὄρους (i. e. de monte, quem dixi, quem nostis,) ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί] videtur Noster prioris voculae αὐτῷ oblitus eandem repetiisse.

vs. 2. λεπρός] leprosus. Leprae morbus in terris orientalibus ob aëris temperiem et contagionem longe lateque grassatur.

cf. Winerus, *Realw.* vol. 1. p. 30 sq.

Niebuhrius, *Beschreib. v. Arab.* p. 130 sq.

προςεκύνει αὐτῷ λέγων] flexis genibus (alii, projecto in terram corpore, ita, ut genua Christi contingeret, ut Grot,) eum rogavit hunc in modum.

ἐὰν θέλῃς] alii: si velis vel si vis, potes me sanare;

alii: si voles, potes me purgare (Levit. 13, 3.) i. e. (non: purum declarare, sed) sanare.

vs. 3. *ἐκαθαρίσθη αὐτοῦ ἡ λέπρα*] alii i. q. *ἐκαθαρίσθη αὐτός*, ad sensum recte, sed pr. lepra purgata s. purgando sublata est.

vs. 4. *μηδενὶ εἴπῃς*] Christus haud semel sanatis imperat silentium v. c. Matth. 9, 30. 12, 16. Marc. 3, 12. 5, 43. 7, 36. 8, 26. 30. (contr. Luc. 8, 39.) quid, quod et apostolis Matth. 16, 20. 17, 9. alii (Chrysost., Euthym.), quoniam qui beneficia in alios conferunt, eo ipso haud semel invidiam sibi contrahunt;

alii (Bez.), ne multitudo hominum miraculo obstupefacta a docendo eum prohiberet;

alii (de Wett.), fortasse, ut Jesus ipse paulatim et quidem immediate fidem in se Messiam in animis hominum excitaret;

alii (Strauss.), Christum tunc temporis de dignitate sua Messiana nondum certum fuisse;

alii (Grot. et Wetst.), ne fama ante ad sacerdotes perlata impurus ab iis declararetur;

alii, tantum in aliquod tempus a Jesu silentium homini esse impositum;

alii fingunt, J. inter privatos parietes leprosum sanasse;

alii, ne quis sanationem leprosi in dubium vocaret, ut Storr. (Observatt. ad anal. et synt. p. 374.)

h l. noli tempus terere sanationem tuam hominibus enarrando, sed quam primum confer te ad sacerdotem et offer munus.

σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ] i. e. sacerdoti, ad quem res pertinet. Sacerdotes enim e lege Mosaica (Levit. 13, 2 sq. 14, 2 sq.) ejusmodi homines puros et impuros declarabant.

NB. Lectio *τῷ ἀρχιερεῖ καὶ τοῖς ἱερεῦσιν* nullo numero est.

τὸ δῶρον] leprosi duas oves ex lege (Levit. 14, 4.) offerre debebant; alii primum, duos passerculos, deinde agnos duos vel, si erat pauperior, unum cum pari turturum vel columbarum.

εἰς μαρτύριον αὐτοῖς] alii ref. ad *τῷ ἱερεῖ* = *τοῖς ἱερεῦσι*, i. e. ut unusquisque eorum intelligat, te esse sanatum (Storr. l. l.);

alii, ut de Wett., ad homines Judaeos, ut, sacerdote rem testante, fidem haberent;

alii, ut Kunoel., contra sacerdotes, scilicet, si vellent in posterum negare, me tibi sanitatem restituisse;

alii, iis, np. qui aderant, huic hominum multitudini, ut esset testimonio, Jesum nequaquam parvi facere instituta Mosaica (Fritzsch.).

Hoc igitur miraculum in ipsa via factum est, quum de monte descendisset domum reversurus Capharnaumum.

vs. 5. ἑκατόνταρχος] sine dubio fuit gentilis; nam proselytum portae (Luc. 7, 5.) eum fuisse nulla re indicavit Matthaeus et verba (v. 10.) οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον, aperte repugnant. Caeterum non in exercitu Romanorum, sed Herodis Antipae fuit. Aliter rem exposuit Luc. 7, 3 sqq.

De variis hujus miraculi interpretationibus

cf. Paulus ad h. l.
Gablerus, *Neuestes theol. J.* vol. 2. p. 275.
Augusti, *Theol. Monatsschr.* 1r. *Jahrg.* p. 316.
Bellermannus, *Uebersicht der neuesten Fortschr. in d. Wissensch.* vol. 3. p. 83.
Krummmacherus, *Geist* etc. p. 203 sq.
Heubneri diss. miraculorum ab Evangelistis enarratorum interpretatio gr. hist. etc. Viteb. 1807.
Koesteri *Immanuel.* p. 195.

vs. 6. ὁ παῖς μου] alii: filius; alii: servus. hl. potius servus, quem magni facio, coll. Luc. 7, 2.

βέβληται] non: jacet, decumbit, sed: aegrotus decumbit = lecto affixus est.

παραλυτικός] qui nervorum resolutione laborat, sive una parte sive toto corpore, membris captus.

vs. 7. Hunc vs. Fritzschius per interrogationem pronuntiandum censet h. m.: at, infit Jesus, num ego veniam et homini medear?

vs. 8. εἰπὲ λόγῳ (non leg. est λόγον)] i. e. una voce, uno verbo impera, jube. Bengel., Fritzsch.

vs. 9. καὶ γὰρ ἐγώ κτλ.] alii: nam ego quoque militibus impero meae potestati subjectis. At tunc leg. esset τοὺς ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν;

alii (Paul., qui sine interpunctione scribit usque ad στρατιώτας): nam et ego ejusmodi vir sum, qui potestati meae subjectos habeam milites;

alii (Fritzsch.): vel si verbo voluntatem tuam indices,

sanabitur servus obsequentibus tibi facile daemonibus, morborum auctoribus: etenim ego quoque illud experior, qui, ipse imperio subjectus, ubi milites meae potestati obnoxios aliquid facere jubeo, statim isti dicto audientes sunt.

τῷ δούλῳ μου] servo, quem dixi, ut antea τῷ υἱῷ μου.

vs. 10. οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραήλ] ne in Israelitis quidem, a quibus tamen (quia Messias proprie ad eos pertinet,) id facile exspectare licet.

πίστιν] submissum animum et fiduciam. de Wett.

vs. 11. ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν] ab oriente et occidente sole i. e. e terris remotissimis.

ἀνακλιθήσονται] Judaei opinabantur, se lautissimis conviviis in regno Messiano frui.

alii h. l. propriè accipiunt, ut Fritzsch.;

alii (recte!) improprie h. m. quamquam Judaei praecipuo jure destinati sunt ad beatitatem Messianam, tamen Gentiles, qui fidem habent, prius ea potientur.

vs. 12. οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας] filii regni Messiani i. e. Judaei, ad quos proprie pertinet regnum Messianum (his enim concredita erant oracula div., τὰ λόγια τ. θεοῦ cf. Rom. 3, 1 sqq.).

εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον] in tenebras, quae sunt extra regnum Messianum splendidissima luce collustratum. Ephes. 5, 8.

ἐκεῖ κτλ.] ibi manebit eos maximus dolor, gravissimae poenae, quibus digni sunt.

vs. 13. ἰάθη] non: convalescere coepit, sed ex mente Matthaei: convaluit illa hora, qua Jesus haec ad eam dixit.

vs. 14. εἰς τὴν οἰκίαν Πέτρου] alii (Grot.) intell. domum socrus Petri, quia Petrus et Andreas Bethsaidae habuissent larem, antequam Christum sectarentur;

alii domum Petri, qui, quamquam Bethsaida oriundus (Joh. 1, 45.) dicitur, tamen sedem suam Capharnaumi fixisse videtur. cf. Marci 1, 29. Luc. 4, 38.

vs. 15. ἥψατο] sanavit, solo tactu febrem per Jesum sublatam esse.

διηκόνει αὐτοῖς] ministrabat iis: sc. Jesu ejusque discipulis accumbentibus.

vs. 16. ὀψίας γενομ.] quum vesperasceret. Hebraei duas habebant vesperas; alteram inde ab hora nona i. e. tertia

pomeridiana usque ad solis occasum; alteram a solis occasu usque ad noctem. Exod. 30, 8.

δαιμονιζομένους] malis vexatos daemonibus, auctoribus morborum = aegrotos.

πάντας τοὺς κακῶς ἔχ.] omnes, quos attulerant, aegrotos.

vs. 17. διὰ Ἡσ.] 53, 4.

ὅπως] alii: eo eventu, ut etc. hl. eo consilio (sp. sanavit), ut etc.

ἔλαβε] alii: tulit, alii (hl.): abstulit; ut jam Tertull., Beng. in Gnom.

ἐβάστασεν] hl. pertulit, toleravit. (de Wett. i. q. ἔλαβε, sustulit Joh. 20, 15.)

Videntur igitur illum Jesaiae locum tunc temporis Judaei ita intellexisse, ut sperarent, fore, ut Messias aegrotos persanaret.

vs. 18. ἐκέλευσεν ἀπελϑ.] alii subint. πάντα ἑτοιμάσαι εἰς τὸ ἀπελϑεῖν, ut Grot.;

alii (Bez.): profectionem indixit, sp. discipulis.

vs. 19. εἷς i. q. τίς. Hunc legis peritum haud pauci a praeconceptis hujus sectae opinionibus alienum et e Jesu discipulis (vs. 21.) fuisse arbitrantur.

διδάσκαλε] רַבִּי, doctor. Sic Judaei praeceptores suos honoris caussa salutare solebant.

cf. Luc. 9, 57 sq. Uterque suo marte rem exposuit.

vs. 20. κατασκηνώσεις] alii latibula quaevis, alii ramos arborum;

alii (ut Fisch.), Jesum legisperito calliditatem et levitatem his verbis exprobrare voluisse credunt;

alii: Ego, Messias, omnibus fortunis destitutus sum, ita, ut ne habeam quidem, ubi a laboribus requiescam i. e. certum domicilium, quo ne animalia quidem carent.

ὁ υἱὸς τ. ἀνϑρ.] בֶּן־אָדָם, homo;

alii (Grot.): homo ignobilis, contemtus, (opp. בני האלהים,) (quod per se nunquam inest);

alii (Wahl., Kunoel.): homo praestantissimus (quod etiam per se non inest);

alii (Schleusn.): filius Mariae vel (Erasm.) Adami filius;

alii (Schulth.): Jesum hac voce significare voluisse, nihil humani a se esse alienum;

alii (Bretschn.): humana forma indutus, ceterum coelitus oriundus. Sic Tholuckius humanam Chr. naturam in hac voce suboluit;

alii (de Wett.): *ich dieser unscheinbare Menschensohn, der trotz seiner Niedrigkeit dazu bestimmt ist, das zu sein, was der Prophet* (Dan. 7, 13.) *geweissagt hat, = der Messias;*

alii (Fritzsch.): filius ille parentum humanorum (τοῦ ἀνθρ. collective), qui nunc loquitur; homo ille quem bene nostis i. e. ego (cf. 9, 6. 11, 19. 1 Joh. 1, 52.). Evangelistae autem et ceteri Jesu amici, quum hac voce illum, quem Messiam esse scirent, saepe de se usum meminissent, Messiae potestatem huic voci subjecerunt. Alibi υἱὸς ἀνθρ. eodem sensu dictum est.

Concedimus Fritzschio hanc nominis originem, sed credimus cum Schulthessio, J. simul indicare voluisse, nulla humanitatis sensa, officia a se aliena esse.

cf. Heumannus, diss. cur filius Dei frequenter se appellaverit filium hominis? in sylloge Diss. t. 1. p. 4. p. 488.

Lessius de filio hominis in Opusc. t. 2. diss. 6.

Rullmannus, *in welchem Sinne nennt sich Jesus des Menschen Sohn?* Rintel. 1785.

Schmidtius *in t. Henke, neues Magaz.* vol. 1. fasc. 1. N. 18.

Augustii *theol. Monatsschr. Jahrg.* 2. p. 393.

Schultenius de appellatione τοῦ υἱοῦ τ. ἀνθρ. — — Traject. ad Rh. 1809.

de Ammonius *in l. Die Fortbildung des Christenthums.* vol. 1. sub fin.

Praeterea vid. Lexica et Commentt. ad h. l.

τὴν κεφ. κλίνῃ] quia nullibi fixam habebat sedem.

vs. 21. τῶν μαθητῶν] Clemens Alexandr. Philippum illum fuisse docet ex antiqua traditione. hl. latiore sensu.

πρῶτον] alii (perperam!) i. q. πρότερον. hl. primum ap. patrem sepelire; secundum, te sequi.

Alii (Grot., Kypk., Reichard.): permitte ut ad patrem (alii senio, alii morbo confectum) redeam, ad mortem usque ejus curam habeam et justa mortuo solvam. (Absona interpretatio!)

Alii statuunt, patrem ejus jam mortuum fuisse.

Alii (Fritzsch.), Jesum sollicitam de condendis mortuis curam improbasse.

vs. 22. ἀκολούθει μοι] alii (Fritzsch.): esto hujus mihi itineris socius;

alii: esto mihi comes perpetuus. Sic hl.: nam saepissime Jesus hac voce eodem sensu utitur.

ἄφες κτλ.] a. alii (Hofm., Heum., Moldenh.): sine vespilliones (אַנְשֵׁי מֵתִים) mortuos suos sepelire;

b. alii τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς ref. ad patrem, qui mortuus erat, ἄπιστον;

c. alii (Fritzsch.): sine mortuos suos mortuos (= suae sortis homines) sepelire — *lass die Todten sich unter einander selbst begraben.* Sens. Pater tuus a quovis alio aeque recte potest efferri; igitur, non est, cur me sequi recuses;

d. alii: sine mortuos (i. e. pietati emortuos i. e. ineptos ad regnum divinum s. doctrinam meam) mortuos (proprie sic dictos) sepelire.

Nobis videtur haec interpretatio praeferenda, primum quia νεκρός hoc sensu a nostris dicitur; tunc quia Christus interdum similibus sententiis paradoxis aculeos in animis auditorum relinquere voluit v. c. apud Johannem: πρὸ τοῦ Ἀβραὰμ γενέσθαι ἐγὼ εἰμι. Recte Calvinus: tantum docere voluit, quidquid nos a recto cursu revocat vel moratur, nihil nisi mortem sapere.

vs. 23. εἰς τὸ πλ.] in eam, quam ad navigandum paraverant, navem.

οἱ μαθ.] i. e. duodecim apostoli (cf. vs. 18.); de Wett. in universum discipulos.

vs. 25. σῶσον (alii leg. σῶσον ἡμᾶς)] utrumque recte, sed illud, quia brevius ideoque fortius praeferendum.

vs. 26. τότε] i. e. apostolis ob fiduciae penuriam vituperatis.

ἐπετίμησεν] alii: compescuit, coërcuit; alii: increpuit ventos et mare i. e. increpando compescuit = גָּעַר. Ps. 106, 9.

27. οἱ δὲ ἄνθρωποι] alii (Fritzsch.): homines, quotquot hujus portenti nuntium acceperant;

alii: homines, qui in illo navigio erant, vel (Marc. 4, 36.) Jesum in aliis navigiis comitati erant.

vs. 28. εἰς τὸ πέραν] in ulteriorem Tiberiadis ripam.

Variant lectiones. Γεργεσηνῶν lectio debetur conjecturae Origenis; nam Gergesa a nullo scriptore commemoratur. Γερασηνῶν alii legunt; sed Gerasa longe remota erat a mari. Alii Γαδαρηνῶν; Gadara caput erat Peraeae. Sic hl., quamquam non de urbe, sed de agro urbis agitur. de Wettius veram lect. restitui posse negat.

δύο δαιμονιζόμενοι] duo a malis daemonibus i. e. furore exagitati, melancholici. Marcus et Lucas unum tantum commemorant.

ἐκ τῶν μνημείων] e sepulcris, in quibus latere solebant, sp. omnem cum hominibus consuetudinem fugientes. Hebraei speluncis sive natura sive arte factis sepulcris utebantur. — Non patet, utrum ex melancholia an ex opinione Judaeorum, daemones ejusmodi frequentare loca, ibi latuerint.

cf. Wineri *Bibl. Realw.*

ἰσχύειν] non: audere, sed: valere, quia praetereuntes vexabant.

vs. 29. τί ἡμῖν καὶ σοί] i. e. nihil nobis tecum negotii est; alii (ut Grot.): cur nobis molestiam exhibes?

πρὸ καιροῦ] ante tempus = judicium Messianum. Cogitandum est aut aegrotos illos audivisse, (de Wett. *aus natürlicher Antipathie,*) Jesum esse Messiam, quem nullus daemonum ex sententia Judaeorum sustinere posset; aut Matthaeum hanc opinionem ipsis geniis malis tribuisse.

vs. 30. μακρὰν] alii i. q. prope, quia Marcus et Lucas contrarium dicunt; haud procul, ἐκεῖ, eodem in loco.

ἀγέλη χοίρων πολλῶν] id neminem mirum habebit, quoniam ibi Gentiles plurimi habitabant, quibus non, ut Judaeis, interdictum erat, porcos alere. E Marci relatione (5, 13.) duo ferme millia fuerunt.

vs. 31. οἱ δὲ δαίμονες] hl. non: daemoniaci (Paulus, Hasius).

εἰ ἐκβάλλεις] i. e. scimus, te nos posse ejicere, vel nos esse ejecturum.

ἀπόστειλον] Fritzschius praefert lectionem ἐπίτρεψον, quia sequitur ὑπάγετε et genii illi summum Christi in ipsos imperium agnoscere finguntur.

vs. 32. ἀπῆλθον] alii, furibundos impetum fecisse in porcos; alii, genios malos occupasse porcos.

ἀπέθανον] hl. suffocati sunt. Etenim quum hominibus illis pestem afferre non poterant, animalibus illis ex opinione Judaeorum pestem afferre debebant. cf. Joseph. Antiqq. 8, 2. 5. At nonne a vero abhorret, illos nova sua diruisse domicilia?

vs. 33. εἰς τὴν πόλιν] i. e. urbem capitalem, Gadaram.

ἀπελθόντες — ἀπήγγ.] alii: in urbem profecti renuntiarunt;

alii: profecti renuntiarunt in urbem.

Alii hoc mire factum proprie accipiunt; alii psychologice explicare conati sunt. Longum esset et a re nostra alienum, omnes theologorum de interpretandis miraculis opiniones referre.

Potissima tetigisse sufficiat. Christus ipse, inquiunt adversarii, quam maxime alienus fuit a miraculis (ut patet ex historia de tentatione, ubi Deum ad portenta perpetranda provocare impium esse, ipse disertis verbis declaravit et alibi). Interdum in aegrotis sanandis remediis usus est: quidni in omnibus aegrotis? Adversarii (Pharisaei inprimis) eum accusant, violasse eum sabbatum, quo die omnis labor interdictus erat. Cur igitur Jesum vituperassent, si non nisi verba quaedam protulisset in aegrotis sanandis? Narrationes de miraculis breviores sunt, quam ut inde certi quid colligi possit. Apostoli miracula non philosophico, verum vulgari sensu acceperunt i. e. res quae attentionem, admirationem hominum movent. Tunc temporis homines in arte medica, psychologia, naturae indagatione omnino non magnos fecerant progressus. Fortasse etiam apostoli (inscii) res exornarunt, etc. His ducti rationibus etiam hoc miraculum explicarunt hoc modo. Aegrotis illis ex opinionibus tunc temporis sese a malis daemonibus revera occupatos esse opinabantur; quae praeconcepta opinio (fixa idea, quam vocant) impedimento erat, quo minus sanarentur. Christus igitur ante omnia hanc perversam opinionem evertere debebat, quod etiam fecit accommodando sese ad ingenium horum hominum.

At aliud est judicium de rebus historicis, aliud res historica ipsa, quae descripta est.

Tum quaesiverunt: qui Christus tantum damnum illius regionis incolis inferre potuerit? Excusarant eum

alii (Rosenmull.), eum docere voluisse, vitam duorum hominum multis porcis praestare;

alii (Wetsten.), Gentiles etiam suffocatis illis porcis uti potuisse;

alii (Paul.), incertum esse, utrum multi an pauci tantum porci interierint;

alii, quia non nisi hoc modo illi aegroti et homines intellexerint, daemones malos a Christo exterminatos esse et posse exterminari;

alii, Christum id providere non potuisse; igitur etiam nullam hujus rei sustinere culpam;

alii (de Wett.), Jesum et alibi quae hominibus usui esse potuerint non admodum curasse (21, 12.).

cf. Eichhornius, *Allgem. Biblioth.* vol. 6. p. 836.
Grimmius, *Exeget. Aufs.* vol. 1. Duisb. 1793.
de Ammonius, *Bibl. Theologie.* vol. 1. p. 155.
Schmidtius, *Exeget. Beiträge.* vol. 2. fasc. 1.
Rosenmullerus ad h. l. Paulus ad h. l. Thiessius l. l. p. 82 sqq.
Hasius, *Das Leben Jesu.* §. 75. Straussius l. l. vol. 2. p. 26 sqq.

Cap. IX.

Sanatio paralytici, 1—8; vocatio Matthaei, de jejuniis, 9—17; filia Jairi in vitam revocatur ac mulier profluvio sanguinis laborans sanatur, 18—26; item duo caeci ac homo mutus daemoniacus, 27—42. Apostoli praeceptis a magistro instructi ablegantur, 35—X, 42.

vs. 1. ἰδίαν πόλιν] neque cum Hieronymo Nazaretha neque cum Augustino (civitas) Galilaea, sed Capharnaumum intelligendum est.

vs. 2. παραλυτικός] hl. membris captus.

τὴν πίστιν αὐτῶν] et paralytici et qui cum eo erant.

ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτ.] condonata sunt tibi peccata tua. Judaeos morbos, quid quod omnes calamitates et publicas et privatas a peccatis repetere proque poenis habere solebant. Quare non opus est cum Grot., Wetst. al. statuere, paralyticum gravissimorum peccatorum conscientia convictum de sanitate sua restituenda desperasse (hinc Jesu θάρσει). cf. de variis hujus miraculi interpretationibus:

Schott. de consilio etc. in Opusc. I. p. 227.
Susk. in Flatti Magaz. fasc. 3. p. 200 sqq.
Paul. ad h. l. et Thiess. ad h. l.
Koester, *Immanuel.* p. 197.

vs. 3. τινές] qui forte aderant. βλασφημεῖν] hl. non est Deo maledicere, sed quod Dei est sibi arrogare.

ἰδὼν τὰς ἐνθυμήσεις] alii (Paul. v. c.), ad vultum, nutum, fremitum eorum ref.;

alii (Fritzsch.) opinantur, cogitata hominum scire, pro documento auctoritatis Messianae Judaeos habuisse.

ἵνατί κτλ.] i. e. cur statuitis, me impium fuisse in Deum voce usum ἀφέωνται etc.

vs. 5. τί εὐκοπώτερον] i. e. utrumque aeque recte dici potest, sanare aliquem et remittere alicui peccata; in hoc rerum nexu unum idemque est; de Wettius: *Wenn ich gesagt hätte: Stehe auf etc., so hättet ihr nichts Arges darin gefunden; aber dieses ist nicht leichter als zu sagen: Deine Sünden sind vergeben; eins und das andere setzt eine höhere Kraft voraus.*

vs. 6. τότε] alii (Kunoel.) i. q. אָז, Germanorum *so.*

alii (Heinsius in Exercitat. p. 38.): tantummodo.

alii (Sam. Petitus in Wolf. Curis): τό τε hocce.

alii: τόδε, hoc jam ille dicit articulari morbo affecto: de Wett. aposiopesin admittit.

alii: *τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ* parenthesi incluserunt, ut Fritzsch. h. l.: ut vobis pateat, hominem habere peccata remittendi in terra potestatem (simul paralytico dicit): surge sublatoque lecto domum redi tuam.

vs. 8. *τοῖς ἀνθρώποις*] alii *τῷ ἀνθρώπῳ*, Jesu; alii: generi hominum s. hominibus et ex his Jesu, ut Beng. hl. gaudebant, unum esse in genere humano hac potestate praeditum.

vs. 9. *ἐκεῖθεν*] Capharnaumo.

ἐπὶ τὸ τελώνιον] alii (Pircaeus): ad vectigalia colligenda sedentem;

alii (Bez.): ad telonium i. e. ad publicanorum mensam. Illud portitorium sine dubio haud procul aberat a lacu Tiberiadis.

Ματθαῖον λεγόμενον] Kuinoel, Paul. al. id cognomen fuisse, alii nomen. cf. Prolog. in Matth.

ἀκολούθει μοι] Paulus: sequere me domum tuam, ut tecum convivio intersim. hl. sequere me doctorem.

Sine dubio jam dudum Jesus ingenium et mores Matthaei perspexerat, antequam perpetuum sui comitem vocaret.

vs. 10. *καὶ ἐγένετο — — καὶ πολλοὶ*] et accidit, — nempe multi etc.

ἐν τῇ οἰκίᾳ] alii Matthaei, alii Jesu domum intelligunt.

τελῶναι καὶ ἁμαρτωλοὶ] alii: portitores et quidem impii; alii: portitores aliique homines nequam. Nam Judaei omnem cum Gentilibus, inprimis portitoribus male audientibus, consuetudinem fugiebant.

vs. 12. *οἱ ἰσχύοντες κτλ.*] qui bona utuntur valetudine. hl. qui cognitione rerum div. imbuti sunt, pietatem expetunt. Pausanias: *οὐδὲ ἰατρὸς παρὰ τοῖς ὑγιαίνουσιν, ὅπου δὲ οἱ νοσοῦντες διατρίβειν εἰώθασι.*

οἱ κακῶς ἔχ.] rerum div. cognitione destituti, alieni a pietate.

vs. 13. *πορευθέντες κτλ.*] ite ac discite, quid sibi vult vox illa Dei: misericordiam (i. e. veram pietatem) volo, et non sacrificia (i. e. cultum externum, quo mire delectabantur Pharisaei). cf. Hoseae 6, 6.

καλέσαι] hl. exhortari ad virtutis studium; non vocare, ut sint in numero discipulorum.

εἰς μετάνοιαν] in haud paucis codd. desunt, sed hl. omitti nequeunt.

vs. 14. τότε] quum pertensos illos Pharisaeos perstrinxisset. cf. Luc. 5, 33. et Marc. 2, 18., quorum ille Pharisaeos, hic Pharisaeos et Johannis discipulos simul verba facientes introducit.

νηστεύομεν] sc. sponte suscepta, privata, jejunia, non publica.

vs. 15. μὴ δύνανται] num possunt, sc. per nuptias, lugere paranymphi? i. e. nullo modo.

οἱ υἱοὶ τ. νυμφ.] filii cubiculi nuptialis, paranymphi, amici sponsi, qui per septem, quibus nuptiae habebantur, dies cum sponso erant.

vs. 16. ῥάκος ἄγναφον] alii homines subintell. nondum ineptis Pharisaeorum opinionibus adulteratos;

alii (rectius!), missis singulis, totius loci sensum hunc esse censent: stultissimum esset, si discipuli Christi ante tempus jejunia sibi imponerent. Idem docetur in seqq.

vs. 17. εἰς ἀσκούς] notissimum est, veteres in utribus vinum conservasse.

εἰ δὲ μήγε] sed nisi forte.

vs. 18. ἄρχων εἷς] praefectus quidam, cf. Marc. 5, 22. et Luc. 8, 41., ubi Jairus nominatur; secundum de Wettium hl. presbyter s. senior, nomine Jairus (Luc. 8, 41 sq.).

ἄρτι ἐτελεύτησεν] alii: jam in eo est, ut diem obeat supremum;

alii (recte): filia mea diem jam obiit.

vs. 20. αἱμοῤῥοοῦσα] sanguinis profluvio laborans; utrum haemorrhagia fuerit an turbata menstrua etc. non constat.

ὄπισθεν] alii, quia impura erat ex lege Levit. 15, 24 sq.;

alii (recte!), ne negotium facesseret Jesu.

τοῦ κρασπέδου] fimbria i. e. fila lanea, ציצת (*Troddeln, Quasten*), quae ex lege Mosaica Judaei vestimentis assuere solebant, ut distinguerentur a paganis et memores essent legis Mos. (Num. 15, 38.).

vs. 21. σωθήσομαι] prospera utar valetudine.

vs. 22. ἐπιστραφεὶς κτλ.] alii: pro sua, quippe Messiae, scientia, qua cogitata hominum noverat;

alii: ipsa hac mulieris contrectatione hanc cogitationem Jesu subortam esse putant.

Euseb. h. e. 7, 17. et Sozom. 5, 20. tradunt, hanc mulierem fuisse Veronicam quandam, quae Paneade in memoriam Christi statuam erexerit, a Juliano Apostata deinde eversam.

vs. 23. τους αὐλητάς] etiam in funeribus Hebraei, Graeci, Romani aliique tibicinibus usi sunt.

vs. 25. ἐξεβλήθη] np. jussu, imperio.

vs. 27. ἐκεῖθεν] ex aedibus Jairi domum suam. ἐλέησον] np. visum nobis restituendo.

υἱὸς Δαυΐδ] Messias.

vs. 28. τοῦτο ποιῆσαι] sed quidnam? alii ὃ αἰτεῖσθε;

alii σώζειν ὑμᾶς;

alii ἐλεῆσαι ὑμᾶς (27.).

vs. 30. ἀνεῴχθησαν αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοί] hl. visum receperunt.

ἐνεβριμήσατο] graviter eos admonuit, np. ne turbae fierent.

vs. 31. ἐξελθόντες] egressi, oppido? minime! sed Jesu domo.

διεφήμισαν] grato, non maligno animo.

vs. 32. κωφόν] mutum, quippe malo daemone occupatum.

vs. 33. οὐδέποτε ἐφάνη οὕτως] alii: nunquam ejusmodi quid apparuit = τοιοῦτό τι, Rosenmüll.;

alii: nunquam quid apparuit sic — Grot.;

alii: nunquam quisquam sic apparuit;

alii: nunquam sic apparuit Jesus i. e. nullis miraculis antea factis tum insignis fuit, quam hoc.

vs. 34. ἐν τῷ ἄρχοντι] per principem malorum daemonum = Satanam.

vs. 36. ἐσκυλμένοι] alii ref. ad miseram eorum conditionem omnino;

alii ad molestias, quas, ut Jesum audirent, perferebant;

alii: pessime habiti.

ἐῤῥιμμένοι] alii (Grot.), ad sectarum studia ref.; alii (Bez., Kunoel., Wahl.): dissipati; rectius alii: abjecti, neglecti (Kypk., Fritzsch., de Wett.).

vs. 37. Est dictio proverbialis: magna est hominum multitudo, quae multo pluribus, quam quos habet, doctoribus ad vitam beatam indiget. Joh. 4, 35 sqq.

vs. 38. κύριος τ. θ.] hl. Deus.

ἐκβάλῃ] ut immittat messi, i. e. ad homines vera doctrina imbuendos.

Cap. X.

vs. 1. *προςκαλεσάμενος*] non: sibi elegit, verum: ad sese vocavit, ut jam Erasm.

vs. 2. *πρῶτος*] non: qui (alii: primus, quia in antiquissimo illo Apostolorum catalogo primum locum obtinuerit,) primus Messiam professus est, neque primus tempore neque primarius, sed quem primo loco nomino (Fritzsch.)

vs. 3. *Βαρθολομαῖος*] בַּר תַּלְמַי, filius Tholemaei s. Ptolemaei: fortasse Nathanaël ille. Joh. 1, 46. et 21, 2.

Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ἀλφ.] Jacobus minor, Alphaei et Mariae filius; secundum alios frater Christi (ὁ *ἀδελφὸς τοῦ κυρίου*), qui postea coetui Hierosolymitano praefuit et a Judaeis lapidibus obrutus est??

Θαδδαῖος] (a תַּד i. e. mamma). Fritzsch. inverso ordine: *Θαδδ. ὁ ἐπικλη. Λεβ.* cognomine Lebbaeus (a. לֵב, homo cordatus, non a Lebba, urbe in Galilaea) dictus.

Haud pauci censent, voc. Thadd. et Lebb. esse cognomina Judae Jacobi (alii filii; alii fratris).

cf. Wineri Realw.; de Wett. p. 99.

vs. 4. *Σίμων ὁ κανανίτης*] (a קַנָּא) i. e. qui fuerat *ζηλωτής* (non Cana oriundus). Cognomen hoc accepit vel a fervidiore ingenio vel quia pertinebat ad *ζηλωτὰς τοῦ νόμου*, qui acri rerum div. studio ducti in legis mosaicae violatores animadvertebant. Quod privatorum hominum studium per se quidem laudabile haud semel scelera et flagitia peperit, inprimis excidio Hierosolymorum, omnino post Christi Apostolorumque aetatem.

Ἰούδας ὁ Ἰσκαριώτης] (alii a שֶׁכֶר homo mendax; alii a שָׂכָר, mercede corruptus; alii ab urbe Carioth in tribu Judaica Cariothensis (אִישׁ קְרִיּוֹת); alii a אסקרוטא vel אַסְכְּרָא, ut Lightf., de Wett., post mortem demum Judae inditum opinantes.

vs. 5. *τοὺς δώδεκα*] cur Christus duodecim elegit? ratione habita duodecim tribuum populi Judaici; uti septuaginta ratione habita assessorum synedrii magni (alii: signorum coeli).

εἰς ὁδὸν ἐθνῶν] in viam, quae ad Gentiles ducit.

εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν] non intell. caput Samariae (tunc scribendum erat: *εἰς τὴν πόλιν*), sed quaevis Samaritanorum urbs.

Maxima Israelitarum parte in exilium abducta, coloni, quos Salmanassar, rex Assyriae, e Babylonia, Cutha, Ava, Havath et Sepharvaim miserat, cum iis qui in patria reman-

serant Israelitis sese miscuerunt ita, ut in unum populum coalescerent (2 Reg. 17, 24.). Jam partim haec spuria Samaritanorum origo, partim quod a Judaeis post exsilium contemti calumniando eos apud reges Persarum Hierosolymorum templique restaurationem impediverant, partim, quod solum Pentateuchum admittebant et novam sacrorum sedem in monte Garizim haud procul ab urbe Sichem condiderant, tantum exarsit odium, ut omnem vitae usum, consuetudinem et humanitatis officia fugerent. Templo Samaritanorum a. 129. a. Chr. per Johannem Hyrcanum destructo, mons tamen Garizim sacer fuit (Joh. 4, 23.) et etiamnum est iis qui hodie urbem Naplum (i. e. Sichem) incolunt.

vs. 6. τὰ πρόβατα τὰ ἀπολ.] i. e. ad eos e gente Israelitarum (οἶκον Ἰσρ.), qui ob rerum div. ignorantiam et morum pravitatem doctore indigent.

Hoc Christi mandatum non repugnat illi, de quo c. 28, 19. 20. legitur, neque inde colligi potest, eum non nisi sacra Judaeorum emendare voluisse. Luculentissimum potius documentum est sapientiae Christi, qua primum Judaeos, quibus spes regni Messiani facta erat, jussit edoceri, ejusque pietatis ac religionis, qua populares suos primos ad beatitatem Messianam perducere studuit.

vs. 7. πορευόμενοι κτλ.] iter vestrum continuantes alta voce nuntiate, proxime abesse regnum Messianum.

vs. 8. νεκροὺς ἐγείρετε] quae Grot., Mill., Wetst., Matth., Paul., Kuinoel. hl. excludunt, cum Bengel., Griesb., de Wett. al. retinenda et cum Fritzschio post verba δαιμ. ἐκβάλλ. ponenda censemus.

δωρεὰν ἐλάβετε κτλ.] alii: gratis didicistis, gratis docete;

alii (Fritzsch.) ref. ad potestatem sanandi et mortuos in vitam revocandi.

hl. ad docendi sanandi mortuosque in vitam revocandi potestatem pertinet. Interpretatio pendet a vs. 7.

vs. 9. μὴ κτήσησθε] ne comparate vobis (quod monendum est contra eos qui vertunt: ne possidete).

vs. 10. πήραν εἰς ὁδόν] peram (i. e. saccum coriaceum, quo pastores ac viatores alimenta gestabant) ad iter faciendum.

δύο χιτῶνας] binas tunicas, quod non ita accipiendum est ac si duas tunicas simul corpori indutas (ὑποδύτης et ἐπενδύτης) gestaverint, ut nonnulli opinati sunt; nam hl. aperte sermo est de vestimentis ad futuros usus non comparandis.

μηδὲ ὑποδήματα] sc. in futuros usus.

ἄξιος ἐργάτης κτλ.] h. m. vos, qui doctrinam meam alios edocetis, aegrotos sanatis etc. digni estis, qui alimenta ab iis capiatis. (1 Cor. 9, 14. σπείρειν τὰ πνευματικὰ, θερίζειν τὰ σαρκικά.)

vs. 11. τίς ἐν αὐτῇ ἄξιος] alii subint. τοῦ εὐαγγελίου;

alii ζωῆς αἰωνίου;

alii ὑμῶν i. e. vestra consuetudine s. τούτου, digni hac re, ut ejus hospites sitis;

alii: munificus et hospitalis (מִי זָכָה בָהּ);

hl. dignus hospitio ineundo s. dignus cujus hospitio utamini.

vs. 12. εἰς τὴν οἰκίαν] domum hospitis, qui sit dignus hospitio conjungendo inventus (Fritzsch.);

alii (de Wett.): domum ad quam pervenistis.

ἀσπάσ. αὐτήν] i. e. huic familiae fausta quaevis apprecamini.

vs. 13. ἐλθέτω ἡ εἰρήνη κτλ.] salus, quam optastis, ei contingat.

ἐπιστραφήτω] redeat ad vos ac si nullam iis dixissetis et ut eadem ad alios vere dignos pertinere possit;

alii (Wetst.) minus recte: pace, quam precabimini, vos ipsi potiamini.

vs. 14. καὶ ὃς ἐὰν μὴ δέξ.] noli cum Paul., Kunoel suppl. εἰ γένηται, ὃς etc. vel ὃς ἐάν per ἐάν τις interpretari. Construe sic: et excutite pedibus vestris pulverem (τὸν κονιορτόν non cum τῶν ποδῶν ὑμῶν jungendum est,) egressi domo aut civitate illa, quae vos non exceperit neque doctrinae vestrae aures praebuerit. Pulvere autem excusso significabant, se omnem cum illis hominibus consuetudinem fugere et ne pulvere quidem eorum terrae s. agri se pollui velle.

vs. 15. ἀνεκτότερον ἔσται γῇ] hl. γῆ, non est urbs (ut multi), sed terra, regio; nam totus ager, in quo sita erant illa oppida, deletus est.

Sens. Tam graves poenae ne Sodomitas quidem et Gomorrhenses, quamquam impietate insignes (Genes. 13, 13. Jes. 1, 10. 2 Petri 2, 6.), manebunt quam illam domum et urbem judicio a Messia olim habendo.

vs. 16. ἐν μέσῳ λύκων] alii i. q. εἰς μέσον, (Bez., Glassius);

alii: oves inter medios lupos futuras, (Paul.);

alii (ὡς pro εἰς): mitto vos ad oves inter lupos dispersas, (Dav. Millius apud Wolf.);

alii *μέσον* hl. redundare — ut Kunoel.;

hl. ita, ut sitis inter lupos tanquam oves.

φρόνιμοι — — ἀκέραιοι] prudentiam igitur animique sinceritatem Christus suis commendat.

vs. 17. *προςέχετε ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων*] cavete vobis ab hominibus. At a quibusnam?

alii: a judicibus, אנשי בית דין, (ut Lightf.);

alii: ab hac hominum natione (ut Paul.);

alii: a quibusdam (i. q. *ἄνθρωποι — τινές*) ut Casaub.;

alii: ab iis, quos lupos antea dixi.

hl. homines in universum, h. sens. prudenter versamini cum hominibus; nam sunt inter eos lupi, qui etc.

εἰς συνέδρια] consessus septemvirorum, a quo disceptabantur caussae minores et privatae. Habuisse ejusmodi synedrium urbem quamque Judaeae, testis est Joseph. Arch. 4, 8. 14. Alii, ut de Wett., intell. synedrium proprie sic dictum.

ἐν ταῖς συναγωγαῖς] Origo synagogarum ab exsilio babylonico repetenda est, quibus nisi erant Judaei exsules. Postea, inprimis post Maccabaeorum aetatem, non nisi in Palaestina exstruebantur. Celebrior quaeque urbs certe unam habebat. Collocatae erant plerumque extra urbem in locis editis et, ut lotionibus sacris uterentur, ad ripas fluminum. Congregabatur ibi populus sabbato quoque festisque diebus, postea etiam secundo quoque et quinto singularum hebdomadum die ad preces faciendas; mares sejuncti stabant vel sedebant a foeminis; nunc Pentateuchi, nunc prophetarum, nunc alii V. T. libri recitabantur et explicabantur. — Verum enim vero etiam civiles poenae, ut flagellorum (2 Cor. 11, 24.) in his conventibus sacris, infligebantur hominibus. cf. Lightf. in H. hebr. ad h. l.

vs. 18. *καὶ — δέ*] alii: sed et ad principes, ut Bez.;

alii (recte): et vero, quin et etc.

ἐπὶ ἡγεμόνας καὶ βασιλεῖς] alii ref. ad magistratus provinciales i. e. proconsules, propraetores et praefectos. At, ut alia mittamus, deest vel Articulus.

alii (recte!) de ducibus et regibus in universum accipiunt.

εἰς μαρτύριον κτλ.] alii (Grot.): hoc facto convincentur praesides et reges et populi auditae veritatis;

alii (Kunoel.): ut coram ipsis et gentilibus vestram religionem propagetis et defendatis;

alii (Paul.): id boni inde eveniet, ut melius liberiusque doceri possint, quo vos sitis animo et quibus moribus;

alii (Fritzsch.): principibus regibusque causam vestram probare debebitis, quo inde sibi testimonium (np. liberalitatis mentisque vestrae imperterritae; (de Wett. doctrinae evangelicae,)) habeant et reges et populi.

vs. 19. πῶς ἢ τί λαλήσ.] Veteres inspirationem ll. ss. realem et verbalem hoc in loco sibi invenisse videbantur.

vs. 20. οὐ – ἀλλά] signif. non tam — quam, (Grot., Fritzsch. al.), quum Graecis desit formula lenior. Haec non omni ex parte vera sunt. Concedimus, interdum, si nexus rerum (ut hl.) id flagitat, non omnia ad unguem esse revocanda; sed habent etiam Graeci formulam leniorem; ponunt enim in altero membro μᾶλλον vel simile quid, et si non habuissent, haec gens profecto aliam excogitasset.

Igitur pr. h. l. non — sed. Nam aut ipsi loquebantur — aut Sp. div. Ad sensum recte: non tam — quam.

ἔστε οἱ λαλοῦντες] quivis potius exspectasset ἔσεσθε. At res praeteritae et futurae ita cogitari ac describi possunt, ac si praesentes.

vs. 21. παραδιδόναι εἰς θάνατον] quod duplici modo fieri potest, aut supplicium non prohibendo aut faciendo s. opem ferendo, ut quis interficiatur.

ἐπαναστήσονται] alii, assurgere in judicio, ut testimonium contra aliquem exhibeas, (Wakef., Kunoel.);

alii, hostili animo aliquem invadere, aggredi (West., Kypk., Fritzsch.)

θανατοῦν] alii (Fritzsch.) de eo qui testimonium contra aliquem dicit, qui non magis θανατοῦν dici potest, quam vernacul. *Todtschlagen*. Id quidem verum est, sed abhorret a sententia Christi rerumque nexu; etenim Christus ab odio hostili, quo liberi parentes invadunt, progreditur statim ad gravissimum, quod ab homine in hominem committi potest, facinus. *Er setzt gleich den äussersten Fall, wozu Jeder die Mittelglieder leicht von selbst finden wird.*

vs. 22. ὑπὸ πάντων] alii: a multis. hl. est oratorie dictum i. e. a permultis, ingenti hominum copia = τῷ κόσμῳ.

ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος] alii: usque ad Messiae adventum, (de Wett.);

alii: usque ad excidium Hierosolymorum, (Hammond., Olear.);

alii: usque ad extremum vitae spiritum;

alii: qui constantem sese praebuerit in doctrina mea pro-

stenda usque ad finem horum malorum, his ad beatitatem Messianam pertinget (Fritzsch.).

vs. 23. φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην] fugite in aliam (np. quae illam, in qua vos persequuntur, proxime excipit,) i. e. proximam urbem (minime: in aliam quandam). Miro modo alii: si vos in hac urbe persequuntur, nolite manere, sed fugam capessite.

οὐ μὴ (pr. non metuendum est, ne) τελέσητε τὰς πόλ. κτλ.] vos non per omnes urbes Israeliticas pervasuros esse.

ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τ. ἀνθρ.] donec venero i. e. rediero Messias vos his rerum angustiis erepturus;

alii (Schott. in comment. exeg. dogmat. p. 223.): donec efficaciam meam invisibilem civitate judaica evertenda declaravero.

Nonnulli ex eo, quod Matthaeus hl. Christum, qui nondum Messiam sese apostolis erat professus (cf. 16, 16. 20.), calamitosa discipulis suis tempora, quae multo serius venerunt, describentem facit, colligunt inesse πρόληψιν (sic etiam de Wett.).

vs. 24. ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον] hl. de fortuna dicitur, non de ingenio, factis, virtute etc.

vs. 25. ἀρκετὸν] satis est discipulo, np. id eum esse assecutum, ut etc.

Βεελζεβούλ] (a בַּעַל זְבָל, deus stercoris, quippe auctor idololatriae, cultus ex parte turpissimi et spurcissimi) vel Βεελζεβούβ (בַּעַל זְבוּב, deus muscarum, quem Ecronitae coluisse dicuntur, quia molestissimas in Oriente muscas abigeret) vel Βεελζεβούλ (בַּעַל זְבוּל, dominus domicilii i. e. Tartari s. Orci). hl. Satanas.

Sens. Si patrem familias (i. e. me) Beelzebulis cognomine vocarunt, quanto magis ejus familiam (vos, meos discipulos)!

vs. 26. μὴ οὖν] i. e. quoniam vobis non majores, quam mihi, inferre possunt injurias, nolite vobis ab iis metuere.

οὐδὲν γάρ ἐστι κτλ.] alii (Fritzsch.), quia ipsius doctrina e tenebris utique sit in lucem evocanda;

alii (Bez.): illucescet aliquando ille dies, quo vestra (Apostolorum) probitas et adversariorum improbitas in clarissima a Deo luce collocetur.

vs. 27. εἰς τὸ οὖς ἀκ.] pr. audire ita, ut vox in aurem perveniat, hl. privatim; nam opp. κηρύξατε i. e. publice docete.

ἐπὶ τ. δωμάτων] alii: in collibus (Bolten.); alii: in solariis. Tecta apud Orientales plana sunt, hinc omnium oculis exposita quae ibi geruntur.

Sens. Quaecunque secreto, separatim ab hominum multitudine a me accepistis, palam docete.

Sens. vs. 28. Nolite metu hominum, qui vitam vobis eripere possunt, a doctrina mea propaganda avocari; immo summi numinis, quod et corpus et animum in orco perdere (alii: in Orco cruciatibus afficere) potest, reverentia ducti, cum summa animi constantia et magnitudine rei christianae navate operam. cf. Sapient. 16, 13.

vs. 29. στρουθία] alii aves. hl. passeres.

ἀσσάριον] erat secundum Rabbinos quarta et vicesima pars denarii s. decima drachmae. hl. vilissimo pretio.

πίπτειν ἐπὶ τὴν γῆν] (alii leg. ἐπὶ τὴν παγίδα, aperte interpretamentum); alii, ἐπὶ τὴν πάγην (est lectio Orig. et Chrysost. et conjectura Beng. in appart. crit. p. 116); alii intell. de captu avium, quum in (sed ἐπί esset super) laqueum incidunt; alii i. q. perire, np. ex aëre in terram delapsae.

Lectio: ἄνευ τῆς βουλῆς τοῦ πατρὸς ὑμῶν, est interpretamentum.

vs. 31. μὴ οὖν φοβηθ.] nolite igitur (quoniam Deus vel minima curat) vobis metuere.

Lectio πολλῶν στρουθίων] lectioni πολλῷ στρουθίων διαφέρετε praeferenda est, quia pauci Codd. eam exhibent et antea, ne unum quidem passerem, Deo nolente, interiturum esse, dictum est.

vs. 32. ὁμολογήσει ἐν ἐμοί] alii: per me — ב Hebr. i. e. quicunque mea opera adjutus doctrinam meam profitebitur (Schleusn., Kunoel.);

alii, ut de Wettius, Syriasmum inesse i. q. *über Jemand, wegen Jemand bekennen;*

alii ἐν redundare, ut Euthymius, qui haec habet: πᾶς ὅστις μαρτυρήσει μοι θεότητα ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων, μαρτυρήσω αὐτῷ κἀγὼ πίστιν ἐνώπιον τοῦ πατρός μου;

alii: si quis apud homines eadem profitebitur quae ego (np. me esse Messiam), ego quoque eadem apud patrem profitebor (np. esse eum e numero eorum);

alii (ut Wahl.) pro: πᾶς οὖν ὅστις μενεῖ ἐν ἐμοὶ καὶ ὁμολογήσει μοι ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, quicunque igitur mecum conjunctus manserit et idem, quod ego, professus fuerit coram hominibus (sc. εἶναί με τὸν χριστόν), cum

eo et ego conjunctus manebo, et idem, quod ille, (sc. εἶναι αὐτὸν ἐκ τῶν ἐμῶν) profitebor coram patre meo = eundem et ego meum esse profitebor coram patre meo.

alii (hl.): quicunque testimonium edet in mea causa coram hominibus etc. (Fritzsch.).

Sens. Quicunque me apud homines constanti animo Messiam professus fuerit, hunc ego quoque apud patrem discipulum meum profitebor, np. die judicii, quod Messias in terram reversus sub auspiciis Dei habebit.

vs. 34. μὴ νομίσητε] videtur signum interrogandi ponendum esse h. m. num putetis, me venisse ut pacem super terram jacerem?

βαλεῖν] dixisse videtur ob μάχαιραν (Wetst. i. q. serere, שלח).

vs. 35. νύμφην] hl. est nurus, quia socrus sequitur.

vs. 36. ὁ ἄνθρωπος] hl. i. q. οἰκοδεσπότης, quia additur: οἱ οἰκιακοί.

Sens. Nolite putare, sacra christiana institui posse sine maximis hominum qui familiaritate, sanctissimis vitae vinculis juncti sunt, dissidiis. — Non dicit, se hoc consilium habuisse, quod sine impietate de Jesu ne cogitari quidem possit, sed aliter evenire non posse, illo rerum statu sicque animatis hominibus.

vs. 37. ὁ φιλῶν κτλ.] Quicunque patrem matremve plus me amat, non est me (doctore) dignus i. e. genuinus meus discipulus.

vs. 38. λαμβάνειν τὸν σταυρὸν αὐτοῦ] i. e. gravissimis, quae imminent, calamitatibus sponte se submittere. — Qui in crucem agebantur, ipsi crucem ferre coacti erant.

Sens. Quicunque non fortissimo animo gravissimas subit calamitates et me magistrum sequitur, non e numero meorum habendus est.

vs. 39. ψυχή] hl. duplici sensu dicitur, primum proprio, deinde improprio, h. m. Quicunque vitam suam (calamitosis his temporibus, per malam fidem) servaverit, veram in regno Messiano vitam i. e. beatitatem amittet; et quicunque in mea caussa vitam amiserit, beata vita potietur.

vs. 40. δέχεται τὸν ἀποστ.] quia Christi caussa Dei caussa est.

vs. 41. εἰς ὄνομα προφήτου] alii: qui hospitio excipit prophetam alius cujusdam prophetae auctoritate (Cast., Wahl.);

alii: in nomen prophetae intuitus, i. e. quia nomen prophetae gerit, *auf den Namen eines Propheten.* (Fritzsch.)

μισθὸν προφήτου λήψεται] praemia, quibus propheta ornatur, percipiet.

δίκαιος] hl. pius. Sine justa caussa Grot. προφήτην doctorem christianum et δίκαιον pium christianum distinguere vult.

vs. 42. ἕνα τῶν μικρῶν τούτων] respicit hl. discipulos suos. Mos erat apud Judaeos, discipulos parvos (קְטַנִּים), magistrum autem magnum (רַב) vocare. Alii i. q. inferiora sorte utentes.

ψυχροῦ] sc. ὕδατος. Eodem modo Latini: frigidae (sc. aquae) praebere poculum. Jesus igitur a summo pietatis fastigio, ad quod homo adscendere potest, (sc. vitam in caussa christiana profundere,) descendit ad infimum pietatis locum (minimum in caussa christiana impendere beneficium). Demonstrat autem, ex aeterno immutabilique rerum divinarum ordine neminem, qui recte egerit, spe beatitudinis posse excidere.

Cap. XI.

Christus discipulis a Johanne missis veras Messiae notas hominumque multitudini suum de Baptista judicium; diras in urbes Galilaeae ac vim qua doctrina div. animos tranquillet, exponit.

vs. 1. ἐκεῖθεν] haud dubie Capharnaumo; de Wettius: omnino ex eo loco, ubi haec discipulis dixerat.

ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν] alii (Grot.) Judaeorum;

alii (Kunoel.) Galilaeorum;

alii discipulorum; non in patriis eorum urbibus, sed quas paullo ante docendi sanandique caussa peragraverant. Id videtur in hac Matthaei brevitate verosimillimum.

vs. 2. Ἰωάννης] tunc temporis in vinculis tenebatur Machaerunte (Joseph. Antiqq. Jud. 18, 7.) cf. 4, 12. 14, 3 sq.

τὰ ἔργα τ. Χρ.] alii mire facta, e quibus colligi poterat, eum esse Messiam; alii facta Christi simpliciter.

διὰ τῶν μαθητῶν] quia alii codd. leg. δύο τῶν μαθητῶν, alii τοὺς μαθητάς, haud pauci conjecerunt, Matthaeum scripsisse πέμψας τῶν μαθητῶν αὐτοῦ τινας, vel δύο τῶν μαθητῶν;

alii (male!) διὰ τ. μ. conjunxerunt cum πέμψας; rectissime Fritzsch. cum εἶπεν conjunxit h. m. per discipulos, quos miserat, dici ei jussit.

vs. 3. ὁ ἐρχόμενος] pr. qui in eo est, ut veniat, i. e. qui certissime veniet = Messias. Joh. 6, 14.

ἃ ἀκούετε] sc. fieri.

vs. 5. Caeci visum recipiunt, claudi gressum, leprosi sanitatem, surdi auditum, mortui vitam et pauperes laeta de regno Messiano imbuuntur doctrina (alii perperam: laetam de regno Messiano mox condendo nuntium perferunt s. propagant).

vs. 6. σκανδαλίζεσθαι] hl. offendi sorte alicujus, ita, ut perperam et inique de eo statuas et ab eo deficias.

Quaeritur, cur Johannes ad Jesum miserit sciscitatum, utrum Messias esset nec ne.

Alii (Chrysost., Theophyl., Euthym., Grot., Bez., Heum., Elsn., Clarius), ut discipulis suis persuaderet, Jesum esse Messiam, idque variis de caussis; partim, ut paulatim familiaritatem cum Christo contraherent; partim, ut, quod doctrina Johannis perficere non potuerat, miraculis Christi permoverentur, ut crederent, eum esse Messiam; partim, ut invidiam, qua majorem Christi quam Johannis auctoritatem aegre ferrent, dediscerent.

Alii, sua ipsius caussa Johannem quosdam ad Christum ablegasse, ut cognosceret, utrum esset Messias nec ne. Sic Tertull. (de baptis. c. 10.), Wetst., Lightf., Beng., Schmidt., Thiess., Paul., Schusterus (in Bibliotheca Eichhornii vol. 9, p. 1001 sq.), Michael., de Ammonius, Herder., Loeffl., de Wett., Stainius.

At quomodo poterat Baptista id dubitare, quum ipse antea Jesum esse Messiam disertis verbis contenderat? Rem alii sic sibi informarunt. Johannes detinebatur in vinculis. Jam, ut docet experientia, ejusmodi homines, nimia vexati sollicitudine vel iis quibus antea fidem habuerunt, haud semel fidem denegant. Quidni igitur idem etiam Johanni in vinculis suis acciderit?

Alii, ut Jesum permoveret, quo celerius regnum Messianum conderet eumque liberaret e vinculis.

At et haec et illa conjectura repugnat moribus Johannis, qui constans fuit in Jesu Messia profitendo et vel vitam pro veritate div. deponere nunquam detrectasse videtur.

Alii (Bez., Grot., Beng., de Wett.) i. q. ἐλάχιστος, vel infimus religionis chr. doctor (at Wetsten.) vel alumnus (Wolf.), quoniam Johannes B. totus pependerit a V. T. doctrina, cultu etc.

B. Alii (ἐν τῇ βασ. τ. οὐρ. ad μείζων trahentes et de beneficiis divinis intelligentes) v. c. Chrysost., Theophyl., Euthym. h. m. qui autem minor est (ego Jesus) auctoritate inter homines per beneficia div. major est Johanne.

Alii, ut Fritzsch. qui haec habet: Verissime vobis affirmo, non exstitisse inter mulierum filios majorem Johanne baptista virum; qui ab eo (nunc) vincitur (ego), in Messiae regno (= condito Messiae imperio) eum vincit (= certo vincet) (quippe Messias). *Wahrlich, kein Mensch war grösser als Johannes; der gegen ihn in Schatten zurücktritt, wird im Himmelreiche (als Messias) ihn überstrahlen.*

Alii (ut jam Buxtorf., Heum. l. b. p. 146., Aretaeus et Fleckius in l. de regno coelesti etc.) ὁ μικρότερος i. e. aetate minor h. m. ego autem aetate minor etc.

Alii denique suppl. αὐτοῦ, alii (cf. Wineri Gr. p. 97.) τῶν ἄλλων.

vs. 12. ἡ βασιλεία τ. οὐρανῶν βιάζεται] i. e. vi tractatur, quod vario modo fieri potest.

Alii (vid. Wolf. Cur., Eichh. Bibl., Moell., Bolten.) de persecutionibus cogitant (Schneckenb. de fuga Christi e Judaea, Joh. 4, 1.);

Alii (Grot., Eckerm., Toblerus): magno concursu hominum invaditur, omnibus viribus contendunt, ut ad regnum div. admittantur.

Alii (Schusterus in Eichh. Bibl. vol. 9. fasc. 6. p. 1003.): regnum coeleste magna (per me) incrementa capit, at qui omnem modum in eo propagando excedunt, caussae meae nocent eamque perdunt.

Alii (Camero, Schoettg., Bengel., Paul.): impetu quodem fines suos propagat regnum div. et qui magno ejus desiderio laborant, occupant.

Alii (Euthym., Erasm., Krebs., Schleusn., Kuinoel., Wahl.): regnum div. summo ardore expetitur et excipitur i. e. πᾶς εἰς τὴν βασιλείαν τ. θ. βιάζεται.

Alii (Loesn., Fritzsch.): magna vi praedicatur. — Sens. A Johannis inde aetate usque ad hoc tempus proxime abfuturi regni Messiani nuntius et propagatur magna contentione et excipitur.

βιασταί] hl. qui cupide aliquid expetunt.

ἁρπάζουσιν αὐτήν] alii: arripiunt; alii: surripiunt (minime cum Schweizero, theol. Stud. et Kr. 1836. 1.) vastant s. delent, ap. qui Zelotarum more ejus potiri cupiunt (*βιάζεσθαι, βιασταί*).

vs. 14. *δέξασθαι*] alii: si vultis haec verba intelligere. hl. admittere, probare, ap. Joh.

αὐτός ἐστιν ὁ μέλλων ἔρχεσθαι] ipse est Elias ille proditurus ab inferis (e communi Judaeorum opinione, cf. vs. 9.). Johannes igitur celebratur laudibus, quia praecursor est Messiae.

vs. 16. *τὴν γενεὰν ταύτην*] alii (Kunoel.) intell. illos Judaeos, qui doctrinam Christi et Johannis repudiabant, praecipue Pharisaeos;

alii interp. hanc hominum nationem, cujus altera pars similis est pueris in foro (*ἐν ἀγοραῖς*, alii minus recte: in plateis, ut Fisch., Schleusn., Bretschneid. s. h. v.) sedentibus; altera (i. e. Johannes et Jesus vid. vs. 18. 19.) similis est amicis eorum, qui difficiles iis exprobrant mores. Sic Gastalı, Fritz.;

alii (ut Grot.) Christus non comparat Judaeos illud puerile carmen in foro cantantibus, sed carmen illud in ipsos ait quadrare. Ceterum recte monuerunt haud pauci utrumque illud puerorum genus referre mores hominum tunc temporis, ad quos nullo modo pertineant Johannes et Jesus.

vs. 17. *ηὐλήσαμεν κτλ.*] alii (Bolten.): *Wir flöten euch vor, aber ihr werdet nicht bewegt; wir klagen euch vor, aber ihr weinet nicht.*

alii: Neque (tibia) laeta vobis canendo ad saltationem neque naenias canendo ad dolendum i. e. nulla re ad nostram societatem vos permovere potuimus.

vs. 18. *μήτε ἐσθίων μήτε πίνων*] est dictio hyperbolica de severis Baptistae moribus.

vs. 19. *ἐσθίων καὶ πίνων*] qui liberalioribus moribus est, cultu victuque liberaliorem animum prodit.

ἐδικαιώθη ἡ σοφ. ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς] Alii (Salvianus de gubernat. vol. 4. p. 92.) talis secta est quales et sectatores. *Die Weisheit dieser Secte ist bewiesen durch ihre Anhänger.* cf. Thiess.

Alii (Chrysostom. et Theophyl.) h. m. equidem (Jesus

absolutus sum, si Judaeos (τὰ τέκνα τῆς σοφίας) respiciam, quippe qui quod meum erat fecerim.

Alii (Grot.) sapientissimum Dei consilium (ἡ σοφία i. q. ἡ βουλὴ τοῦ θεοῦ) Judaeos Johannis severitate et Christi comitate ad poenitentiam revocantis, ne quid intactum relinqueret et ne quid illi causari possent, probatum est ab iis (ἀπό i. q. ὑπό) qui pia quadam divinae sapientiae reverentia tenebantur (ig. non perfecti sapientes), quales tunc temporis erant publicani et de plebe aliqui. Luc. 7, 29. 30.

Alii (Thiess., Markland., Elsn.) et (καὶ sc. λέγουσιν): condemnata, reprobata est sapientia a discipulis suis (probata autem portitoribus hominibusque de plebe).

Alii (Noesselt. in Exercitt. s. p. 139.) fore, ut, etiamsi Judaei inique de se statuant, tamen discipuli eorum rectius sentiant vitaeque suae sapientiam agnoscant.

Alii (Storr. in Opusc. vol. 1. p. 242.): sapientia div. fecit, ut insons habeatur a cultoribus suis i. e. vita factisque sapienti cuique sese purgavit.

Alii (Paul.): sapientia, etiam nondum nacta, qui eam perspicerent, amicos, caussam suam vicit. — (At ἀπό non esse i. q. ὑπό).

Alii (Kuноel.): sapientia probatur a sapientibus i. e. vitae ac doctrinae meae et Johannis sapientia laudatur probaturque a sapientiae cultoribus, vituperatur repudiaturque ab insipientibus.

Alii (Castal., Bretschn.): immunis est sapientia div. perversitate filiorum suorum (np. Judaeorum).

Alii (Periz., Fisch.): at doctrina div. laudatur et probatur ab iis, qui eam cognoverunt et receperunt.

de Wettius: *„Die Kinder der Weisheit, d. h. die sie angenommen haben, meine Jünger, geben durch ihre Gesinnung und ihr Betragen Veranlassung, dass sie gebilligt wird.“* Praefert tamen hanc interpr. *das launische Zeitalter verkennt die Weisheit; diejenigen aber, die dafür empfänglich sind, wissen sie zu schätzen.*

Alii (Jensius, Fritzsch., Wahl.): sapientiae caussa (sc. quae in contrariis Johannis et Jesu institutis cernitur) justa pronuntiata est, ut huic rei occasionem praebuerint, ut habita hujus calumniae ratione fautores et discipulos intueare, i. e. perversa Judaeorum de Johanne ac Jesu opinio vita discipulorum refellitur.

vs. 21. *Χοραζὶν* s. *Χωραζὶν*] (alii derivant a חֲרֹשֶׁת הַצִּנִּים, alii, כרזין, alii a חורשין) et

Βηθσαϊδά] (בֵּית־צֵידָה, Schiffhausen), patria Andreae, Petri et Philippi, oppida Galilaeae, sita erant ad lacum Tiberiados haud procul a Capharnaumo.

ἐν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι] urbes phoeniciae, mercatura celeberrimae ac opulentissimae.

vs. 22. *σάκκῳ καὶ σποδῷ*] a. (Kunoel.) *ἐνδυσάμεναι σάκκον καὶ καταπασάμενον σποδόν*, alii (Bez.) suppl. *καθήμεναι*. hl. sumto cilicio ac cinere.

vs. 23. *Καφαρναοὺμ κτλ.*] Capharnaumum piscatu et mercatura maxime florebat.

ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ κτλ.] e summo fortunae fastigio (alii ref. ad mercaturam et piscatum; alii, quia Christus ibi versabatur,) in infimum locum detrudi s. maximam miseriam.

vs. 24. *πλὴν λέγω ὑμῖν*] Fritzsch. reposuit *σοί*.

vs. 25. *ἀποκριθεὶς*] neque redundat neque Hebraismum redolet, sed e nexu quaestio investiganda est, quam auctor brevitati studiosus omisit.

σοφοὶ καὶ συνετοί] ingenio et doctrina Judaica florentes. hl. Pharisaei maxime et legisperiti (Storr.); opp. *νηπίοις*, ingenio et doctrina parum insignes, modeste de se statuentes. 1 Cor. 3, 1. coll. 1, 26. hl. discipuli Christi et homines de plebe, qui J. benevolo animo audiverunt (Storr.).

alii (Kunoel.): celebro te, pater, quod, quamquam (*ὅτι*) permittis, ut non intelligant neque probent doctrinam div. qui sibi soli sapere videntur, saltem tamen (*καὶ ἀπεκάλ.*) ea impertiri jubes rudiores imbecillitatis suae probe conscios, ita ut eam intelligant et probent.

alii (Wahl., Fritzsch.): gratias tibi ago, quod decrevisti haec (i. e. placita mea) subducere sapientibus h. e. ita abscondidisti, ut a prudentibus removerentur (*ἀπό*), et communicare voluisti hominibus ingenio ac doctrina parum florentibus.

Caeterum recte dicit Chrysost. hom. 38. *οὐ διὰ τοῦτο (τὸ ἀποκρυφῆναι) χαίρει, ἀλλ' ὅτι, ἃ σοφοὶ οὐκ ἔγνωσαν, ἔγνωσαν οὗτοι.*

vs. 26. Sane, pater, (sc. *ἐξομολογοῦμαί σοι*) gratias tibi ago, quod (*ὅτι* de Wett.: nam) sic maxime, non aliter, tibi placuit — (Fritzsch.).

vs. 27. *πάντα κτλ.*] omnia (sp. quae ad genus humanum beandum — non solum doctrinam, ut multi, pertinent) arbitrio meo

tradita sunt a patre; et nemo accurate cognoscit filium nisi pater (et cuicunque pater revelare velit — secundum de Wett.).

καὶ ᾧ ἐὰν βούλ.] et cuicunque tandem filius revelare velit. de Wettius: pater est, cujus sub auspiciis ac vi ago, nec nisi vi illa div. quae per me sese exserit, me divinitus missum esse apparet, quemadmodum ego solus homines ad Deum perducere possum. Jesus profitetur intimam voluntatis et consiliorum cum patris necessitudinem.

vs. 28. Δεῦτε πρός με] breviter et cum vi dictum: huc ad me!

οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι] alii ref. ad miseriam vocatorum; alii ad onus legum mosaicarum 23, 4 sq., quas multis molestisque praeceptis auxerat doctorum judaicorum superstitio (Kunoel., Wahl., Fritzsch.), alii ad utrumque.

vs. 29. ἄρατε κτλ.] Suscipite meum jugum in vos (sc. gravi illo ac molesto excusso) et discite a me; nam lenis sum. — Solent Judaei doctrinam contendere cum onere. Male haud pauci intell. crucem.

εὑρήσετε] junge cum ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν.

vs. 30. χρηστός] alludit ad vocem Χριστός.

Volkm. Reinhardus, Disp. phil. de locis quibusdam qui in sermonibus Domini temere putantur communes. Specim. 1. Viteberg. 1780 (Matth. 11, 28—30.).

Cap. XII.

Discipuli spicas evellunt 1—8; arida sanatur manus 9—14; modestia salvatoris 15—21; conspiratio Pharisaeorum in Christum; peccatum in sp. sanctum 22—37; praesagium Jesu mortis et reditus in vitam 38—45; mater fratresque Jesum adeunt 46—50.

vs. 1. ἐπορεύθη] Bez., Kunoel., al. ibat. hl. profectus est.

τοῖς σάββασι] noli hanc vocem urgere.

ἤξαντο τίλλειν] non i. q. ἔτιλαν, sed significatur, discipulos in ipso conamine a Pharisaeis esse vituperatos. Igitur coeperunt vellicare (non fricare, ut Grot.).

vs. 2. οἱ Φαρισαῖοι] quippe perpetui Christi adversarii.

ὃ οὐκ ἔξεστι] spicas in alieno agro ad famem depellendam evellere licebat ex lege (Deut. 23, 26.). Judaei autem seriores legem de abstinendo a labore die Sabbati vel ad minutissimas res extenderant. cf. Wetst., Lightf., Schoettg. in Horis hebr. ad h. l. et Bodenschatz. *Einleitung des N. T. aus dem jüd. Alterthüme.* collect. 1. n. 5. de Wett. *Archäolog.* §. 214.

vs. 3. *αὐτὸς καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ*] multi codd. *αὐτὸς* omittunt, sed Fritzschius restituit. De Davide autem, Sauli insidias fugiente, ejusque comitibus, quibus summus sacerdos Achimelecus panes sacros comedendos dedit vid. 1 Samuel. 21, 1. sqq. Rectissime Christus ad Davidem, virum tantae apud Judaeos auctoritatis, provocavit.

vs. 4. *εἰς τὸν οἶκον*] i. e. tabernaculum foederis (templo nondum exstructo), quod tum Nobe erat. 1 Sam. 21, 2.

οἱ ἄρτοι τῆς προθέσεως] i. e. *οἱ προτεθεμένοι*, הַפָּנִים לֶחֶם, לֶחֶם הַמַּעֲרֶכֶת panes triticei duodecim ad numerum tribuum israeliticarum cocti, thure conspersi, per septem dies et in sanctuario mensa aurea quasi in conspectu Dei propositi, quorum in locum recentes substitui solebant. cfr. Levit. 24, 1 sqq.

εἰ μὴ] sc. *ἐξὸν ἦν* (= *ἐξῆν*).

vs. 5. *ἢ οὐκ ἔγνωτε*] Paulus legit: *ἢ οὐκ ἂν ἔγνωτε, ἐν τῷ νόμῳ ὅτι τοῖς σάββασι κτλ.* h. sens. *Habt ihr Juden denn etwa nicht selbst* (*ohne eine Stelle von Mose*) *eingesehen, dass* (*ἐν τῷ νόμῳ*) *während das Gesetz gilt*, (*ohne ἀνομία* Röm. 2, 12.) *doch die Priester am Ruhetage in jedem heiligen, gottgeweihten Geschäft die Ruhe nicht achten:* vid. Comment. vol. 2. p. 29.

ἐν τῷ νόμῳ] Num. 28, 9. Sens. Nonne sacerdotes, qui singulis sabbatis duo agnos offerunt, opus quoddam faciunt, — quod vobis est legem violare — opus suum faciendo legem ex vestra sententia non violant?

vs. 6. *μεῖζόν ἐστιν ὧδε*] subint. *τί*.

Alii (*μείζων* legentes): ego templo major sum i. e. possum permittere, ut discipuli mei faciant die sabbati, quod vobis illicitum esse videtur. — At repugnat *ὧδε* (= *οὗτος* s. *ὅδε*), pro *τοῦ ἱεροῦ* leg. esset *τοῦ νόμου*.

alii (Grot.) munus propheticum sacerdotali erat augustius et cuivis prophetae licebat extra templum sacrificare, ut Eliae; igitur etiam Christo ejusque apostolis in munere suo obeundo cibum sibi comparare quo sabbati die vescerentur.

Alii (v. c. Kunoel.): hic adest templo quidpiam majus (*μεῖζον*) h. e. valetudo discipulorum meorum, qui cibo se recrearunt, majoris momenti est, quam cultus externus; saluti hominis cedere debet sabbatum. Eodem fere modo

Alii (v. c. Paul.): *hier* (*in der Handlung meiner Lehrjünger*) *betrifft es, muss ich euch sagen, etwas grösseres als euer Tempelcultus ist, nämlich das Wohlbefinden des Menschen.*

Alii (v. c. Fritzsch.) cogitant notatam hoc modo a Jesu esse doctrinam hominumque flagitiosorum emendationem, in qua factitanda tum quoque occupatus fuerit. Flagitat id vs. 7.

(de Wettius, *denn ich der Messias, der ich mit ihnen mein Werk vollbringe, bin Herr über den Sabbath, und habe sie von dessen Haltung losgesprochen.*)

vs. 7. εἰ δὲ ἐγνώκειτε κτλ.] si intellexissetis — non damnassetis, qui discipulos meos violatae legis accusatis.

vs. 8. κύριος τοῦ σαββ. ὁ υἱὸς τ. ἀνθρ.]

Alii (Coccejus, Wetst.) ref. ad Messiam, cui ex opinione Judaeorum potestas erat sacra mutandi et emendandi.

Alii (Grot., Kunoel., Paul.), quoniam Jesus se Messiam nondum publice erat professus, de homine in universum accipiunt.

Alii (Fritzsch.) Christum bl. quod omnibus hominibus commune est, simul ad se retulisse censent.

Refutavit igitur Jesus adversarios triplici argumento: primo etiamsi discipuli sui certam hac de re legem violassent, tamen eos excusari posse exemplo Davidis, et pontificis maximi, quod demonstret, legem illam non esse sine exceptione (vs. 3. 4.); secundo exemplo sacerdotum, quo significetur, legem de sabbato nunquam non ad salutem hominum esse accommodandam (vs. 5.); tertio id quod discipuli fecerint ex lege humanitatis esse judicandum i. e. legem positivam ex lege divina.

vs. 9. ἐκεῖθεν] i. e. ex agris, ubi paulo ante commemorata acciderant.

εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν] sc. ubi Pharisaei illi adessent, Capharnaumi.

vs. 10. τὴν χεῖρα ἔχων ξηράν] alii (Paul. ad. h. l.) de spasmo s. luxatione manus cogitant.

alii (Schulthess. in Henkii Museo vol. 3. fasc. 1.) de brachii debilitate, rheumatismo;

alii de paralysi, qua manus omni succu et nutrimento caruerit.

ἐπηρώτησαν κτλ.] quaesiverunt ex eo his verbis: an liceret sabbato sanare, ut eum accusandi haberent materiem. Nefas enim esse statuebant Judaei, aegrotos die sabbati sanare, excepto summo vitae discrimine, quid quod aegrotos consolari.

vs. 11. τίς ἔσται] alii (Grot.) τίς pro εἴ τις, ecquis; bl. quis erit e vobis homo i. e. nemo erit, qui hoc faciet.

εἰς βόθυνον] in cisternam. Doctores Judaici censebant, ovem in cisternam delapsam, inviolato sabbato, extrahi posse; vid. Buxtorf. de Synag. Jud. c. 16.

vs. 12. *οὖν*] non i. q. *ἀλλά*, *δέ*, jam vero, sed igitur.

καλῶς ποιεῖν] alii *εὐεργετεῖν*: alii recte agere = *σώζειν*.

vs. 13. *καὶ ἐξέτεινε κτλ.*] et extendit atque sana reddita erat (Fritzsch.); alii: atque (eodem temporis momento) sana reddita est — (de Wett.).

vs. 14. *ἐξελθόντες*] alii (Oelsner. p. 34. cum *κατ᾽ αὐτοῦ* jungens): expeditionem contra eum susceperunt.

alii: egressi, sc. e synagoga.

Caeterum rectissime pro *ἐξελθ. οἱ δὲ φαρισ.* legendum censet Gersdorfius: *ἐξελθόντες δὲ οἱ φαρ.* vid. ejusd. *Beiträge zur Sprachcharakteristik der Schriftsteller des N. T.* p. 91.

vs. 17. *ὅπως πληρωθῇ κτλ.*] ut eventu comprobaretur vaticinium Jes. 42, 1 sq. Id auctor memoriter attulit et consilio suo adaptavit.

vs. 18. *ὁ παῖς μου*] In illo Jesaiae loco alii (Michael.) Messiam; alii (Echerm.) populum Judaicum; alii (Dath., Rosenm.) prophetam ipsum; alii (Bauer.) Cyrum, intelligunt; hl. Messias, deliciae Dei.

εἰς ὃν εὐδόκησεν] e quo voluptatem cepit.

κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγ.] alii virtutis praecepta, doctrinam div., id quod justum est tradet exteris populis; alii: multitudini hominum, quae tunc eum cingebat.

vs. 19. *οὐκ ἐρίσει κτλ.*] sens. ab omni ostentatione quam maxime erit alienus.

vs. 20. *κάλαμον κτλ.*] alii (Kuinoel.) h. m. hominum salutem promovebit, mitis erit, lenis et aequus erga homines inscitia laborantes ideoque miseros, non more Judaicorum doctorum legum ceremonialium traditionumque onere sectatores suos opprimet nec a suis plura et majora postulabit, quam quae ab iis praestari possint:

alii (Fritzsch.) referunt ad flagitiosos homines, maxime Pharisaeos.

hl. videtur universe intelligendum esse de hominibus afflictis sive sua culpa sive aliena h. m. afflictos non opprimet.

ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν]

alii (Loesner.): donec omnem litem composuerit;

alii (Raphel. in Observatt. Polybb.): usque quo victricem reddiderit doctrinam evangelii;

alii (Grot.): donec justa sua ita manifesta fecerit, ut quovis judice victoriam referre possit.

alii (Krebs., Kuinoel): promovebit felicitatem hominum, dum doctrinam suam tradet, ita, ut ea vincat.

alii (Fritzsch): usque dum ad victoriam perduxerit virtutem, quam doctrina sua commendaret.

hl. donec doctrinae suae i. e. divinae victoriam paraverit.

vs. 21. ἐν τῷ ὀνόματι — ἐλπιοῦσι κτλ.] i. e. exterae nationes fiduciam collocabunt in ejus bonitate, idque merito, qui Judaeos immorigeros tanta lenitate pertulit.

vs. 23. μήτι οὗτός ἐστιν κτλ.] alii: num hic est e posteris Davidis; hl. an forte hic est filius ille Davidis (quem oracula spectant prophetarum) i. e. Messias.

vs. 24. ἐκβάλλει κτλ.] Miro modo Wetsten.: vi potentioris daemonis expellit infirmiorem, quo facto homini non beneficium praestat, sed ipsum in potestatem hostis severioris et malignioris tradit.

vs. 26. ὁ σατανᾶς τὸν σατ. ἐκβ.] perperam Kuinoelius: si Satanas semetipsum ejicit; hl. intell. superior, qui inferiorem expellit.

vs. 27. οἱ υἱοὶ ὑμῶν] alii (Chrysost., Euthym., Theophyl.): discipuli mei, Apostoli;

alii (Bezae et Camerar.): vestri populares;

alii (ut Grot.): populares Pharisaeorum et discipuli.

alii: discipuli vestri, quia Hebraeis magister pater dicitur.

Praeter Christum ejusque discipulos alios etiam Judaeos malos ejecisse daemones idque variis exorcismis et medicamentis, patet e Luc. 9, 49. Act. 19, 13. Joseph. Ant. 8, 2. 5. B. J. 7, 6. 3.

διὰ τοῦτο] i. e. (Euthym.) διότι τοίνυν ἐκβάλλουσι καὶ αὐτοὶ δαιμόνια καὶ οὐκ ἐγκαλοῦνται παρ' ὑμῶν.

vs. 28. εἰ δὲ ἐν πν. θ.] non est: cum vero ego Dei potentia adjutus (ut Kuinoel.), — sed: sin autem etc. Inest disjunctiva concludendi ratio: aut per Beelsebulem — aut per spiritum divinum.

ἄρα ἔφθασεν] i. e., vestra opinione citius ad vos pervenit regnum div. Er. Schmidius.

vs. 29. ἢ πῶς] alii (Kuinoel.) et; alii (Bez.) aut quomodo; alii (Erasm.) alioquin; alii (Fritzsch.) vel, ut aliter vobis occurram. sic hl.

ἐὰν μὴ πρῶτον] alii (Kuhoel.) i. q. *πρότερον*; hl. primo omnium.

διαρπάσει] minime: diripere poterit, sed: diripiet.

vs. 30. *ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ κτλ.*] inest locus communis. Sens. si in bello internecino, quale est inter Dei servos et daemones, nemini licet neutrarum esse partium, sed medii pro hostibus habentur, quanto magis ego hostis censendus sum diaboli, qui non modo illi non prosum, sed obsum quam maxime. Grotius.

vs. 31. *διὰ τοῦτο*] recte Grotius: quum tam manifestis rationibus constet, quae facio, non daemonum, sed Dei virtute fieri, videte quam gravem in vos poenam arcessatis, quum dicitis ista vi daemonum effici.

βλασφημία] alii (Lutherus) impie dicta in Deum; alii (Kunoel.) dicta in Christum contumeliosa; alii (ut Grot., Wahl.) impie dictum, quo laeditur reverentia Deo rebusque divinis debita.

ἡ δὲ τοῦ πνεύματος βλασφημία] quaenam est haec in Sp. div. contumelia?

Alii (Kunoel.) eorum, qui scientes prudentesque improbo consilio Christum mira facta non potentia adjutum divina, sed ope Satanae facere criminabantur.

Alii (Reinhardus in l. *christl. Moral.* vol. 1. p. 805.) in eo constitisse censet, quod homines isti extraordinariis ad mores in melius mutandos instrumentis i. e. miraculis et doctrinae a Christo ipso acceptae impio animo repugnaverint.

Alii (Hasius *Dogmat.* p. 520.), qui meliora edocti vi malisque artibus, ut suis prospiciant rebus, divinum quodque opprimere student.

Alii (de Ammon. *Sittenl.* vol. 1. p. 20.): voluntaria ac superbiens pervicacia contra religiosam, quam vocant, conscientiam, qua omnis veri officiique vis in animo infringitur.

Alii (de Wettius l. l. p. 118.), non referendum esse ad solam vim miracula patrandi, sed omnino ad divinum illud, quod Jesus agendo vitaque sua prodiderit et quo imbutus regnum condiderit divinum. Divinum illud omnium oculis ita erat expositum, ut non nisi callo obductus ac pervicacissimus quisque abnegare posset. Quare Jesus ipse distinxit *βλασφημίαν κατὰ τοῦ υἱοῦ τ. ἀνθρ.* contumeliam in Messiam; nam fieri potest, ut quis divinum illud in Christo agnoscat, quamquam eum non pro Messia habet; sed qui divinum illud in Christo negat,

committit βλασφ. κατὰ τ. πν. ἁγ., quae contumelia non ut illa ab errore mentis ac judicii, sed prava voluntate animoque quam maxime impio proficiscatur.

Alii (Fritzsch. l. l.): si quis, quae per ipsum spiritum divinum fiunt, ea aut vulgariter aut etiam per scelus commitii audaci ore contenderit.

Alii aliter v. c. Origenes (in Matth. 12.) quodvis magnum et quod excusari nequeat facinus post baptismum commissum peccatum in sp. s. declarat.

Hieronymus (epist. ad Marcell.): si quis ante tribunal judicis constitutus non solum negat Christum, sed eum etiam dicat esse Beelzebub.

Buddeus: voluntaria veritatis agnitae abnegatio et mediorum gratiae rejectio constans ac pertinax cum blasphema impugnatione conjuncta.

Gerhardus: quod Pharisaei contra conscientiae testimonium miracula Christi dicebant fieri per Beelzebub.

Eodem fere modo Michaelis, Seilerus., Doederlin., Schottus, Wegsch. al.

cf. Koppius, progr. quo sensu peccato in Sp. s. venia a Christo negata fuerit. Gotting. 1781.

Lehmannus, diss. de peccato blasphemiae in Sp. s. Hal. 1792.

Nitzschius, progr. de peccato homini cavendo, quamquam in hominem non cadente etc. Viteb. 1802.

de Wettius, *Abhandlung über die Sünde wider den heiligen Geist,* Berol. 1819.

οὐκ ἀφεθήσεται] hl. vix ac ne vix quidem condonabitur. Alii strictissimo sensu ob vs. 32. accipiunt.

vs. 32. κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρ.] alii (Chrysost., Kunoel.): qui me (Messiam) dictis violaverit;

alii (Grot., Fritzsch.) de quovis homine, ne Christo quidem excepto.

οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι κτλ.] neque hoc seculo (quo nondum adest Messias) neque futuro (quo prodiit) i. e. nullo unquam tempore.

vs. 33. ἢ ποιήσατε κτλ.] aut ponite arborem bonam et fructum ejus bonum, aut ponite arborem malam et fructum ejus malum. (Fritzsch.).

vs. 34. πῶς δύνασθε] alii (Bez., Kunoel.) i. q. πῶς ἂν δύναισθε, quomodo possitis;

alii (recte.): quomodo poteritis i. e. fieri non potest, ut bona loquamini, quum mali sitis.

vs. 36. πᾶν ῥῆμα ἀργὸν] hl. omnis sermo a vero alienus (Grot.).

vs. 37. ἐκ τῶν λόγων σου δικ. κτλ.] alii (Wolf., Elsn.): propter sermones;

alii (Fritzsch.): per verba tum probaberis, tum reprobaberis;

alii: κατὰ τοὺς λόγους, secundum sermones, sermonibus convenienter.

Sens. Etiamsi facta non exstarent, ex solis sermonibus facile constabit, probi an improbi sitis.

Nexus rerum est hic: Vos, Pharisaei, dicitis, me per Satanam malos exterminare daemones. Quod absonum est; nam primum regnum Satanae hoc modo secum dissideret et corrueret necesse esset; tum vestri discipuli idem facientes in eadem essent culpa, quod nunquam concedetis: denique sequeretur, me tamen Satanae esse superiorem (nam minister Satanae non potest expelli, nisi vincto Satana). Quid igitur inde colligi potest? me esse pium atque ope uti spiritus div.; vos autem impios, qui contumeliis petitis spiritum divinum. Etenim valet illa lex: uti fruges, ita arbor etc.

vs. 38. τότε] i. e. absoluta hac (25—37.) oratione.

θέλομεν — ἰδεῖν] volumus (non: velimus) videre cf. 16, 1—4.

σημεῖον] hl. portentum (alii, ἀπ' οὐρανοῦ, in coelo): ἀπὸ σοῦ] hl. quod sponte, non urgente necessitate peragas (Fritzsch.).

vs. 39. μοιχαλίς] alii: quae (natio s. aetas) a vero Dei cultu defecit;

alii: spuria, supposititia, quae falso jactat Abrahamum, Isaacum, Jacobum auctores (Grot.);

alii: improba, impia. Recte! ἐπιζητεῖ] cupide expetit.

σημεῖον Ἰωνᾶ] alii (Paul., Eckerm.): argumentum concionis Jonae;

alii (Eichhornii Biblioth. vol. 7. p. 1042.): comminatio interitus similis minis Christi de Hierosolymorum excidio;

alii (Kunoel.), resurrectionem intell.

alii (Storrius): in utroque miraculum (σημεῖον) revocationis ad vitam editum est.

hl. quod expertus est Jonas s. quod in Jona editum est: Winerus σημεῖον ὅμοιον τῷ σημείῳ τοῦ Ἰωνᾶ (*wie es Jonas erfahren hat*). Jon. 2, 1.

vs. 40. ὁ υἱὸς τ. ἀνθρ. κτλ.] id tempus non ad unguem revocandum est.

vs. 41. ἀναστήσονται] alii: consurgent ut testes — at repugnat μετά (legendum esset κατά) et v. 42. ἐγερθήσεται: alii: in vitam revocabuntur.

εἰς τὸ κήρυγμα] ad vocem Jonae, *auf die Busspredigt des Jonas.*

πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε] Chrysostom. hom. 43. οἱ μὲν χωρὶς σημείου ἐπίστευσαν, ἐγὼ δὲ πολλὰ σημεῖα ἐπεδειξάμην καὶ οἱ μὲν οὐδὲν πλέον ἤκουσαν τῶν ῥημάτων ἐκείνων, ἐγὼ δὲ πᾶσαν ἐνίκησα φιλοσοφίας ἰδέαν.

Hanc Matthaei de Jona, qui per triduum in coete marino latuerit, cum Christo, qui per triduum in visceribus terrae fuit, comparato narrationem in dubium vocavit de Wettius his de caussis: 1) repugnat vs. 41., ubi non nisi de concione Jonae sermo est; 2) nullibi relatum legitur, prodigium illud prophetae Ninevitis innotuisse; 3) non erat signum propheticum, sed poena et reconciliatio pertinacis prophetae; 4) Jesus vs. 41. non quoad signum, sed quoad personae dignitatem et κήρυγμα Jona sublimior dicitur; 5) resurrectio ejus non nisi iis, qui nomen ei dederant, signum esse poterat; 6) denique omnino dubitari potest, Christum resurrectionem suam disertis verbis praedixisse (17, 23.). Exstat locus Joh. 2, 21., ubi discipuli post mortem salvatoris id quod multo ante prorsus alio sensu dixerat de ejus resurrectione perperam interpretati esse videntur.

Secundum historiam, quae nullum quod Jonas Ninevitis ediderit, prodigium memorat, et Luc. 11, 13. cardo rei in eo vertitur, ut, quemadmodum Jonas ipse, i. e. persona, aditus, concio ejus, signo erat, divinitus eum esse missum, sic etiam Messias ipse signo sit huic hominum nationi.

cfr. Paulus ad h. l.
Eckermann, *theol. Beiträge* vol. 2. p. 30.
Ausführliche Erklärungen aller dunkeln Stellen des N. T. ad l. Matth. 16, 1.
Schulz, *die Lehre v. Abendm.* p. 317.
Strauss, *Leben J.* vol. 2. p. 334 sq.
Contra
Flattus, symboll. ad illustranda etc. Tubing. 1807. p. 7 sqq.
Storrius in Flatti l. Magaz. fasc. 4. p. 192 sqq.
Schotti Opusc. t. 1. p. 297 sqq.
Kunoel. ad h. l. et Olshaus.

vs. 42. βασίλισσα Νότου] regina australis, 1 Reg. 10, 1., quae e civitate Sabaeorum in Arabia felici, igitur e remotissimis terris venerat, ut sapientiam Salomonis cognosceret.

πλεῖον Σολ. ὧδε] e mea consuetudine plus redundat utilitatis quam ex Salomonis (Fritzsch.).

vs. 43. ὅταν δὲ τὸ ἀκάθαρτον κτλ.

Sens. Eos qui cum inquinamenta mundi semel effugerint, iisdem rursus implicantur, gravius quam antea ruere, contemtum gratiae suae Deo ulciscente. Grotius.

Alii (Munsterus) h. m. similitudo ad vos pertinet (vs. 45.), qui cum olim prae ceteris gentibus receperitis legem (mosaicam) et a vobis expelleretur daemon ille vagatus per Gentium corda et ad vos reversus suscipitur iterum a vobis et locus habitandi ultro conceditur.

Alii (Grot.): videtur Christus populum Hebraeum intueri ab eo tempore, quo in Babyloniam abductus est ad Titi excidium. Ante deportationem gravia erant populi flagitia, quae videre est apud prophetas. In ipso exsilio coeperunt sese emendare plerique, atque ita Deo occasiones disponente in patriam redierunt; sed Asmonaeorum temporibus rursum in vitia, vel barbaris pudenda prolapsi, adjecerunt his omnibus contemtum Messiae tantis cum miraculis tantaque cum clementia missi. Quo facto a Deo derelicti evaserunt homines omnium sceleratissimi, quales eos Josephus in ultimorum temporum historia describit.

Quomodo haec cum antecedentibus cohaereant, vix dici potest. Ex iis, qui arcte cum ante dictis cohaerere censent,

alii (Kaufmannus in l. *Versuch über den Sinn u. Zusammenhang der St.* Matth. 12, 43 sqq. *in* Augusti *theol. Monatsschr.* 1801. fasc. 11.) h. m. Etiamsi vobis ederem σημεῖον, vestramque ἀπιστίαν ad tempus evellerem, tamen usque recurreret et majora caperet incrementa;

alii (Kunoel.) h. m. Vos, Pharisaei, estis contumaces et ἄπιστοι, quodsi etiam interdum dictorum factorumque meorum praestantia et argumentorum gravitas vos percellit — vobisque vel invitis obtrudit cogitationem, me esse — Messiam; brevi tamen ἀπιστία et contumacia vestra redit, quae in dies crescendo vobis afferet perniciem certissimam et gravissimam; (Utrique Kaufm. et Kunoel. sententiae videtur repugnare vs. 45. οὕτως ἔσται.)

alii (Fritzsch.) arcte h. vs. cum superioribus nexum esse negantes h. m. Praesagio, inquit Christus, hujusmodi mortales aliquando fortasse meae veritate doctrinae eo impulsum iri, ut de consueta pervicacia recedant. Sed non diuturna haec erit conversio, imo priori amentiae iterum se dedent, ita quidem, ut mihi multo etiam infestiores reddantur.

9*

Sensus ex mente de Wettii est: haec hominum natio corrigi non potest, quemadmodum daemoniaci quidam sanari nequeunt.

ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου] ex homine quovis.

δι' ἀνύδρων τόπων] per arida i. e. deserta (ubi ex opinione Judaeorum mali habitabant daemones) vagatur quaerens requiem et (καί male alii i. q. ἀλλά) non invenit.

vs. 44. σχολ. κτλ.] possessionem non vacuam tantum, sed et paratam; de Wettius, *das Gefegtseyn des Hauses, d. h. die Gesundheit der Seele, hindert den Dämon einzufahren; darum sucht er Verstärkung.* Siccine?

vs. 45. κατοικεῖ ἐκεῖ] hl. fixam sedem ibi habet.

τὰ ἔσχατα τ. ἀνθρ. κτλ.] i. e. ejusmodi homo denuo gravioribus etiam, quam antea, implicatur peccatis.

vs. 46. ἡ μήτηρ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ] alii, consobrinos, filios Mariae et Alphaei;

alii, comprivignos a Josepho ex alia uxore susceptos;

alii (recte!), germanos fratres (cf. 13, 55.) intell.

vs. 49. ἐπὶ τοὺς μαθητάς] et ad ἐκτείνας et ad εἶπεν possunt referri.

ἰδού, ἡ μήτηρ μου καὶ οἱ ἀδελφοί μου] omnes regulas grammaticas evertit interpretatio Kuinoelii: mihi aeque cari sunt ac mater et fratres mei.

Cap. XIII.

Parabolae de satore 1—23.; de bono semine ac lolio eodem in agro 24—30.; de grano sinapis, de fermento 31—33.; de thesauro, mercatore, verriculo 36—50.; Jesus a Nazarethanis contemnitur 53—58.

vs. 1. ἀπὸ τῆς οἰκίας] alii: e domo, quam habitabat Capharnaumi, sese contulit ad lacum Genesaret s. mare galilaeum; alii: e domo, ubi ante dicta acciderant.

εἰς τὸ πλοῖον] i. e. navigium, quod paraverant.

ἐπὶ τὸν αἰγιαλόν] neque ad litus, neque in litore neque super litus, sed per litus — *dem Ufer entlang* (Fritzsch. Winer.).

vs. 3. ἐν παραβολαῖς] per parabolas, בְּמְשָׁלִים.

1) Parabola secundum Fritzschium est rei fieri solitae vel quae possit saltem evenire, quasi gestae narratio, docendi caussa.

Si fontem respicis, ex quo hauritur: quaecunque fieri solent vel saltem fieri possunt. Si id quod tractat: non

nisi ad res sublimiores (res religiosas moresque) pertinet. Si finem quem sequitur: vel ad verum docendum vel officium quoddam inculcandum valet. Si denique formam qua utitur: ad aesthetices leges omnia componenda sunt. Recte igitur definivit eam Cl. Poelitzius h. m. (*das Gesammtgebiet der deutschen Sprache.*): *Eine Parabel ist die Darstellung einer Handlung, die das Sinnbild einer höhern Wahrheit der Vernunft oder eines sittlichen Grundsatzes in sich schliesst, — unter der Einheit einer vollendeten ästhetischen Form. So wie das Gleichniss aus einer fortgesetzten und durchgebildeten Vergleichung entsteht: so die Parabel aus einem völlig durchgebildeten Gleichnisse.*

De notione ac differentia ejus a fabula, allegoria etc. cf.
Quinctil. Inst. Orat. 5, 11. 8, 3.
Ernestii Interpr. N. T. p. 127. ed. de Ammon.
Keilii l. *Lehrbuch d. Hermeneutik* p. 85.
Hungeri l. infra l.

Poelitzius: *Das Eigenthümliche der Fabel besteht in der Versinnlichung menschlicher Handlungen und Zustände in dem der menschlichen Freiheit verwandten Kreise des Instincts. Die Allegorie nennt den eigentlichen Gegenstand, der versinnlicht werden soll, nicht selbst, sondern lässt ihn unter einem ihm völlig entsprechenden Bilde erscheinen, auch ist es nur zufällig, wenn sie eine Vernunftwahrheit oder einen sittlichen Grundsatz versinnlichet.*

2) Sive res quas parabolae Jesu tractant sive formam spectaveris, quidquid de hoc docendi genere et apud antiquiores et recentiores exstat, longe superant omnesque compositae sunt ad doctrinam de regno divino illustrandam et confirmandam; nunc agunt de instrumentis, quibus regno div. possis potiri (ut P. de satore); nunc de ejus dignitate (P. de thesauro et unione); nunc de conditione eorum qui cum Christo per ecclesiam conjuncti sunt (P. de zizaniis et tritico); nunc de ejus incrementis (P. de sinapi); nunc de indole fatisque eorum qui regno div. fruuntur etc.

3) In interpretatione parabolarum N. T. caveas maxime allegorias, qua in re Vitringa saepissime lapsus est, ac sequere sensum literalem, ut Lutherus jam voluit, ita ut tertium comparationis, quod vocant, semper teneas i. e. primariam, quae exhibent, veritatem, reliquis haud neglectis.

4) Omnes parabolae aliquam universae de regno coelesti partem ante oculos ponunt, v. c. principia, leges, fata, (impedimenta atque incrementa,) praemia etc. illustrant et confirmant. Videndum est ad quam hujus universi argumenti

partem quaevis parabola referenda sit, ut recte monuit Scholtenius, p. 181. Aliae enim agunt

I. De vi verbi divini.

Matth. 13, 3—9.	De satore. Quam vim doctrina div. in animis hominum exserat, pendet ab indole animi humani.
— 13, 36.	De patrefamiliae. Quisnam idoneus sit regni div. doctor.
— 13, 31. 32.	De sinapi. De parvis initiis incrementisque regni div.
— 13, 33.	De fermento. Vis div. evangelii omnia permeat renovatque.
— 13, 44—46.	De thesauro et unione. De dignitate regni coelestis omnibus rebus praeferenda.

II. Aliae agunt de ecclesia vi verbi div. fundata, partim de ejus existentia partim de aditu ad eam.

Matth. 21, 23—44.	De malis vinitoribus. De animo a vera poenitentia alieno.
— 22, 1—14.	De nuptiis regiis. De discrimine vocatorum atque electorum.
— 13, 24—30.	De zizaniis et tritico. De bonis et malis in coetu christiano mixtis.
— 13, 47—50.	De reti. De hominibus in coetu christiano tandem aliquando separandis.

(NB. Luc. 5, 36. 37—39. c. 14 et 15.)

III. Aliae de civibus regni coelestis secundum eorum

a) fidem.

Matth. 7, 24—27.	De utroque architecto. De vero usu verbi div., unde vera nascitur fides.
— 20, 1—16.	De laboratoribus in vinea. Submissus animus est suprema lex, ad quam possessor vineae praemia sua distribuit.
— 21, 28—32.	De duobus filiis dissimilibus. De fide hypocritica.

b) Secundum eorum amorem.

Matth. 18, 23—35.	De servo maligno. De caussis, quibus impelli debeant homines ad peccata fratrum condonanda, np. amore erga numen benignissimum.

c) Secundum eorum spem.

Matth. 25, 1—13. De decem virginibus. De animo ad dominum rite excipiendum bene praeparato.

— 25, 14—30. De talentis concreditis. Exhortatio ad fidem tenendam.

Cf. de parabolis

Campejus Vitringa, *schriftmässige Erklärung d. evang. Parabeln*. Francof. et Lips. 1717. (Is docuit, quomodo non interpretandae sint.)

Samuel Bourns, *geistl. Reden über einige auserlesene Parabeln uns. Heilandes*. Ex Anglico vertit J. J. Duschius. Alton. et Brem. 1771.

Andreas Grey, *Vorlesungen üb. d. Gleichnissreden uns. Heilandes*. Ex Anglico. Hanov. 1783.

Storrius, Opp. academ. vol. 1. p. 89 sqq.

Wesselii Scholtenii diatr. de parabolis J. Chr. Delphis Batav. 1825.

Unger, de parabolarum Jesu natura, interpretatione, usu scholae exegeticae rhetoricae. Lips. 1828.

Ewaldus, *der Blick Jesu auf Natur, Menschheit und sich selbst* etc. Hannov. 1812. (ed. 3.)

Hugo Grotius, Opp. theol. t. 2. vol. 2. Amstelod. 1679.

Olshausenius, *bibl. Comment. üb. die Schriften des N. T.* Regiomont. 1830. (p. 429. 600. 787. et alibi.)

Herderus, *Briefe üb. d. Studium der Theol.*

Bengelius, (Gnom.), Draesekius (*Vom Reiche Gottes*. Brem. 1830.).

Krummacherus (*über den Geist u. die Form der evangelischen Geschichte* etc. Lips. 1805.) et

Fr. Gustav. Lisco, *die Parabeln Jesu*. Berolin. 1834 (ed. 2.) p. 1 sqq.

ὁ σπείρων] i. e. *der Sämann* (non recte (?) Lutherus: *ein Sämann*).

vs. 5. διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς] (non pro γῆν βάθους), quia profundam terram non habebant.

vs. 6. ἡλίου δὲ ἀνατείλαντος] et ad ἐκαυματίσθη et ad ἐξηράνθη pertinet.

διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν] sc. altas, firmiores radices.

vs. 7. ἀναβαίνειν] eodem modo Latini assurgere. Virgil. Carduus et spinis surgit paliurus acutis.

vs. 8. καὶ ἐδίδου καρπόν κτλ.] plerique vertunt: et protulerunt frugem, aliud centesimam, aliud sexagesimam, aliud tricesimam (tunc scribere debuisset ἀνὰ ἑκατόν etc. vel simile quid);

alii subint: σπέρματα;

alii (**Fritzsch.**) ter repetendum censent *καρπούς*, h. m. alia bonam nacta terram fruges tulerunt, aliud centum, aliud sexaginta, aliud triginta fruges.

Quamquam in parabolis non omnia ad vivum resecanda sunt, tamen haec fertilitas neque inaudita est neque a Palaestina, ab ubertate frugum satis laudata, abhorret cf. Gen. 26, 12. Joseph. B. J. 3, 3, 2. **Wetsten.** ad h. l. **Wesseling.** ad Herod. 1, 193. **Wineri** *Reallexicon* sub v. *Palästina*.

vs. 10. *οἱ μαθηταί*]. de **Wettius**: Si, ut plerumque fit, statuis, Jesum usum esse parabolis, ut vulgus eum facilius intelligeret, non omnis hujus loci difficultas tollitur. Nam etiam discipuli sensum hujus parabolae non assequuntur, eodemque, quo vulgus, numero habendi sunt. Cur igitur Christus interpretationem hujus parabolae vulgo denegat? Res sic se habet. Christus collatione illa studium res div. discendi in auditoribus suis excitare eosque permovere voluerat, ut, quid sibi vellet, ex ipso quaererent. Quod qui revera faciunt, hi vocantur hl. *οἱ μαθηταί* i. e. (non duodecim apostoli) *οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα*. At huic opinioni Articulus repugnat, qui nunquam indefinite ponitur, ac usui, qui in h. v. apud Nostros obtinet.

vs. 11. *ὅτι*] hl. quia vobis (*δέδοται*) datum est, sc. divinitus (opp. plebi autem non datum est), perspicere *τὰ μυστήρια τῆς βασιλ.*, res arcanas regni Messiani. Perperam haud pauci, ut **Rosenm.**, **Bretschn.** ad obscurii sensus parabolas referunt, quasi Jesus parabolis usus esset, ne plebs eum intelligeret. **Alii**, ut **Grotius**, *αὐτοῖς* i. e. *ταπεινοῖς*: *ἐκείνοις* i. e. *σοφοῖς*, qui sibi sapere videntur.

v. 12. Inest dictio proverbialis: divitum res crescunt, pauperum res decrescunt s. pereunt. hl. quicunque rerum div. cognitione imbutus est, majore etiam imbuetur; qui vero non, is in posterum ea prorsus destituetur.

vs. 13. *διὰ τοῦτο*] sc. quia iis non datum est divinitus, arcana regni div. mente assequi. Sens. propterea eos per parabolas edoceo; nam (minime quod) tam pingui ingenio sunt, ut nihil sapiant.

vs. 14. *ἀναπληροῦται αὐτοῖς*] (alii *ἐπ' αὐτοῖς*; alii *ἐν αὐτοῖς*) hl. ratum fit per eos (alii: iis) vaticinium Jesaiae 6, 9. 10.

vs. 15. *ἐπαχύνθη*] similibus vocibus Graeci et Latini de obtuso hominum ingenio utuntur.

vs. 17. *ἐπεθύμησαν ἰδεῖν ἃ βλέπετε κτλ.*] sc. *τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*.

vs. 19. *παντὸς ἀκού. κτλ.*] quicunque doctrinam de regno

divino audit neque intelligit (alii, ut Bez., Grot., Kunoel., συνιέναι animadvertere).

οὗτός ἐστιν ὁ παρὰ τὴν ὁδὸν σπαρείς] alii (Bez., Paul., Kunoel.): talis est ad viam consitus. At repugnat vs. 20. 22. 23.

alii (Grot., Fritzsch.): hic ad viam consitus appellari debet, *dieser ist der an den Weg gesäete.*

Aperte homines non cum agro, sed cum semine in hac parabolae interpretatione comparantur.

vs. 21. ῥίζαν ἐν ἑαυτῷ] (ex opinione Kunoelii redundans) signif. in se, in animo suo.

θλίψις ἢ διωγμός] quum voce ἢ separentur, illud vocabulum de calamitate eum doctrinae professione per ipsam rem conjuncta, hoc de malis quae ob eam ab aliis inferantur, intell. esse censuit Fritzsch.

Alii (Grot.), illud de privata, hoc de publica vexatione intell.

vs. 22. ὁ τὸν λόγον ἀκούων] neque cum Grotio e v. 20. repetendum est καὶ μετὰ χαρᾶς λαμβάνων, neque ἀκούων cum Kunoelio interpretandum: qui audit doctrinam eamque admittit. Nam alia nota hoc hominum genus ab reliquis differt.

ἡ μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου] cura rerum ad hoc seculum pertinentium, quae cum regno Messiano nihil habent commune.

ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου] alii (v. c. Kunoel.) voluptas, delectatio: alii fallaciae divitiarum, ut Fritzsch.

ἄκαρπος] de iis agitur, qui jam majores in pietate progressus fecerant, sed cupiditatibus variis, quas purgare neglexerant, obruti vim illam frugiferam perdunt.

vs. 23. ὃς δὴ καρποφ.] alii: qui nempe; alii: qui denique; alii, *welche doch wohl.* hl. qui igitur (quippe in fertili terra consitus).

vs. 24. αὐτοῖς] ref. ad populum, non ad solos discipulos.

καλὸν σπέρμα] hl. semen bene purgatum.

vs. 25. τοὺς ἀνθρώπους] alii custodes agri; alii servos (27.) hl. homines.

ὁ ἐχθρός] aliis est Satanas: aliis inimicus ille patrisfamilias.

ζιζάνια] alii lolium, *Tollkraut*; alii triticum adulterinum, *Afterwaizen.* Utriusque plantae genus, tritico simile, ad-

modum frequens est in Palaestina. cf. Wineri *Reall.* sub h. v.

vs. 26. καρπὸν ἐποίησε] i. e. grana (adhuc lactantia, immatura) quam fecisset.

vs. 28. συλλέξομεν] alii leg. συλλέξωμεν. Illud, quia rarius est, ex lege critica praeferendum. Caeterum συλλέγειν non praegnans est, ut Kunoelius, (eradicare et colligere).

vs. 29. ἅμα αὐτοῖς] ἅμα saepissime cum Dat. ponitur: igitur non subint. σύν.

Cf. de tota hac parabola vs. 37 sqq. Simplex ex mente Calvini scopus P. est hic: Quamdiu in hoc mundo peregrinatur ecclesia, bonis ac sinceris in ea permixtos fore malos et hypocritas, ut se patientia arment filii Dei et inter offendicula, quibus turbari possent, retineant infractam fidei constantiam.

vs. 31. σίναπι] est genus plantarum in terris orientalibus atque Americae a summa exiguitate ad arboris minoris altitudinem excrescens. Sens. Doctrina div. a parvis initiis maxima capit incrementa.

vs. 32. μικρότερον] vid. de hoc Comparativo Wineri Gr. p. 97. ed. 2. (alii perperam μικρότατον);

ὃ μικρότερον μέν ἐστι pr. dicendum erat: ὅ, ὅταν σπαρῇ, μικρ. — — ὅταν δὲ etc.

vs. 33. σάτον] (סְאָה, chald. סָאתָא) genus mensurae aridorum modium cum dimidio s. 24. sextarios s. tertiam partem Ephae capientis.

τρία] quia consuetudo id ferebat Genes. 18, 7. Jud. 6, 9. 1 Sam. 1, 24.; alii pro multis modulis. Mulieres jam antiquitus pinsere et coquere solebant: cfr. Levit. 26, 20. Plin. h. nat. 18, 11. Sens. vis div. evangelii omnia permeat mutatque in melius.

vs. 34. χωρὶς παραβολῆς κτλ.] scil. ταῦτα πάντα. Nam alio tempore J. propria usum oratione constat. Fritzsch.

vs. 35. διὰ τοῦ προφ.] Ps. 78, 2. Est id ex more Matthaei. Asaphus, cui hic psalmus adscribitur, propheta vocatur 2 Chron. 29, 30.

κεκρυμμένα κτλ.] i. e. quas nemo inde a rerum initiis in lucem protulit.

vs. 36. εἰς τὴν οἰκίαν] sp. Capharnaumi.

φράσον] i. e. explica.

vs. 37. ὁ υἱὸς τ. ἀνθρ.] i. e. Messias.

vs. 38. *τὸ καλὸν σπέρμα*] alii fruges e bono semine natae; alii, bonum semen doctrinae.

οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ] hl. qui sacra christ. profitentur quidem, sed a pietate alieni. Grot.

vs. 39. *συντέλεια τοῦ αἰῶνος*] (vel *τούτου* vel *τῶν αἰώνων*,) finis hujus seculi vel hujus rerum ordinis.

Judaei duplex distinguere solebant aevum (עוֹלָם הַזֶּה et עוֹלָם הַבָּא). Alterum complectitur tempora ante Messiae adventum, inscitia rerum div., impietate omnibusque miseriis insignia; alterum complectitur tempora Messiana, i. e. adventum Messiae, regni div. inaugurationem, mortuorum resurrectionem, judicium extremum, quo impii i. q. gentiles hostesque nominis judaici puniuntur, pii i. e. Judaei autem maximis cumulantur bonis, ut rerum div. cognitione, libertate, pietate; paucis, tempus, quo omnes res novam eamque laetissimam faciem induant.

vs. 40. *πυρὶ καίεται*] (alii, ut Kunoel., *κατακαίεται*.) ex Griesbachii et Fritzschii sententia vera lectio est, quia impii apud inferos non comburuntur, sed igne uruntur. Apoc. 29, 15. Matth. 25, 46.

vs. 41. *συλλέξουσιν ἐκ τ. βασιλ.*] hl. colligendo tollent omnia offendicula et (i. e. nempe — per epexegesin) improbos.

vs. 42. *κάμινος τοῦ πυρός*] i. e. geenna.

vs. 44. *θησαυρῷ*] alii (Schoettg.) de frumento in agro condito; alii rectius de re quadam pretiosa. Sensus ex mente Grotii hic est: Nimium studium gloriae, divitiarum et voluptatis abjiciendum et si pressura ingruat, omnia etiam vitam ipsam abdicandam, ut verbum salutare sit non usu tantum temporario, sed jure mancipii nostrum, h. e., ut in ejus verbi obedientia ad finem perseveretur.

κεκρυμμένῳ ἐν τῷ ἀγρῷ] Schottius: porro comparari potest regnum div. thesauro in agro recondito, quem qui invenit, rursus abscondit; alii, celavit; alii quem inventum occultaverat.

Calvinus: mercandi verbo non significat Christus ullam compensationem afferri ab hominibus, qua coelestem vitam sibi comparent; scimus enim, qua lege dominus fideles suos apud Jesaiam 55, 1. invitet. Sed quamvis gratuitum sit donum Dei vita coelestis et quidquid ad eam pertinet: dicimur tamen eam redimere, quum volentes privamus nos carnis desideriis, ne quid ab ea obtinenda nos impediat. Phil. 3, 8.

Grotius: doctrina evangelica quibusdam affulsit neque de Deo neque de vita emendanda neque de spe vitae alterius quicquam cogitantibus, quales erant plerique in gentibus

exteris, quibus illud vaticinium Paulus aptat: inventus sum non quaerentibus me. Erant et sapientiae studiosi inter Judaeos et alibi, qui veritatis cognoscendae desiderio quodam tangebantur quive prophetam aliquem aut ipsum etiam Messiam avidis animis exspectabant. Priores respicit thesauri comparatio, posteriores ista de unione.

vs. 47. ἐκ παντὸς γένους] sc. τὶ.

vs. 48. τὰ καλὰ — τὰ σαπρά] alii illud de piscibus, hoc de sordibus accipiunt: alii (rectissime) alterum de utilibus, alterum de inutilibus piscibus.

Calvinus: finis P. est, ut in timore et modestia contineat discipulos suos, ne inani fidei titulo vel nuda professione sibi placeant. 2 Tim. 2, 19. Evangelii praedicationem scite comparat verriculo sub aquis demerso, ut sciamus praesentem ecclesiae statum confusum esse.

vs. 52. διὰ τοῦτο] alii, quod mentem meam percepistis; alii, quoniam demonstravi, quomodo parabolis utendum sit.

μαθητευθεὶς τῇ βασιλείᾳ τ. οὐρ.] ad leges regni Messiani edoctus. Lectiones ἐν τῇ βασ. et εἰς τὴν βασιλείαν nihili sunt.

alii: institutus a regno Messiano i. e. a rege regni Messiani.

ἐκ τοῦ θησαυροῦ] alii: e granario fruges (καινὰ καὶ παλαιά); alii: e penula edulia aut vasa; alii: ex promtuario res novas et veteres proferre.

Grotius: monentur apostoli, ut ad exemplum a Christo datum studeant pietatis dogmata condire quadam tradendi varietate.

Calvinus: dominus admonet, se non tantum operae posuisse in illis docendis, ut sibi tantum sapiant, sed ut imperitiant aliis, quod apud ipsos depositum est. Atque hoc modo ad discendi studium eos magis acuit ac sollicitat.

Doctor christianus et rerum ubertate et varietate excellere debet.

vs. 54. εἰς τὴν πατρίδα] sc. Nazaretham; alii perperam Galilaeam intell.

τούτῳ] Fritzsch. et Kuinoel. hl. cum contemtu positum esse, ut Hebraeorum זֶה concedimus, sed putamus id potius sequi ex vs. 55.

vs. 55. ὁ τοῦ τέκτονος υἱός] praeter Hilarium, qui artem ferrariam eum calluisse perhibet, antiquitas uno quasi ore Josephum fabrum lignarium fuisse tradit. Justin. M. contra

Tryphon. p. 04. ed. Stephan. Suiceri Thes. s. h. v. Fabricii Cod. Apoc. N. 7. vol. 2. p. 87.

οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ] alii (Pottus in prolegg. ad ep. Jac. p. 55.), consobrinos i. e.. Cleopae s. Alphaei et Mariae, sororis Mariae quae Jesum enixa est;

alii (ut Vorstius de Hebraeism. p. 71 sqq.), privignos a Josepho, Mariae marito, ex alia conjuge susceptos;

alii germanos Christi fratres germanasque sorores intelligunt. Sic

Herderus, *Briefe zweener Brüder Jesu* etc.
Niemeyerus, *Characteristik d. B.* vol. 1. p. 517.
Eichhornius, *Einl.* vol. 3. p. 570.

Eodem modo Ammonius, Bertholdtus, Kunoelius, Fritzschius al. Probabile id videtur: primum, quia Christus (Matth. 1, 20. 25.) πρωτότοκος dicitur; tum quia ibidem legitur οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτήν, ἕως κτλ.; deinde cum patre Jesepho et Maria simpliciter commemorantur; denique nullum aliud Josephi et Mariae matrimonium ab antiquo fideque digno auctore traditur. Religio igitur male sana Theologos antiquissimos transversum egisse videtur.

vs. 57. ἐσκανδαλίζοντο ἐν αὐτῷ] np. quia divinum ejus ingenium cum ignobili ejus origine pugnare videretur.

ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ] alii ad ἀπίστους Christi fratres (Joh. 7, 5.) referunt (Chrysostom.);

alii universe dictum statuunt. Simile proverbium habet Plutarch. de exilio p. 604. D. τῶν φρονιμωτάτων καὶ σοφωτάτων ὀλίγους ἂν εὕροις ἐν ταῖς ἑαυτῶν πατρίσι κεκηδευμένους. Aristides: πᾶσι τοῖς φιλοσόφοις ἔδοξε χαλεπὸς ἐν τῇ πατρίδι ὁ βίος. Senec. de benef. 3, 3. vile habetur, quod domi est. Plin. H. N. 35, 36. Sordebet ille (Protogenes) suis, ut plerumque domestica.

διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν] quare in N. T. traditur, Jesum non nisi πίστοις miracula edidisse, ἀπίστοις denegasse, quippe indignis.

Cap. XIV.

Fama de Jesu ad Herodem perfertur; Johannes B. trucidatur, quare Jesus secedit 1—12.; quinque hominum millia mire saturantur 13—21.; Jesus in lacu Galilaeo deambulat 22—33.; multa alia edit miracula 34—36.

vs. 1. ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ] quum Nazarethae versaretur; miro modo Kunoelius: circa illud tempus, cum fama Jesu

ad Herodis Antipae aures pervenisset. De Herode honoris causa τετράρχης dicto vid. c. 2, 22.

τὴν ἀκοὴν Ἰησοῦ] Cur tam sero? Alii (Grot.) Herodem tunc temporis peregre abfuisse Romae. At iter illud Herodes Antipas patre vix mortuo suscepit, teste Josepho A. J. 17, 11.

Alii (Baronius, in Annal. eccles.), Herodem bello cum Areta occupatum e Palaestina i. e. Galilaea et Peraea abfuisse. At monente Casaubono (cf. ejus Exercitt. ad Baronii Annales p. 304.) illud bellum post mortem demum Johannis fuit.

Alii (de Wett.): Antipas doctores Judaicos non multum curasse videtur, et Jesus jam fama florere debebat, si tetrarcha animum adverteret.

Alii (Rustius in harmonia evang. vol. 1. p. 1246.), famam Jesu in dies crescentem interpretantur idque probabiliter.

vs. 2. τοῖς παισὶν αὐτοῦ] ministris, aulicis. 1 Sam. 18, 22. Joh. 1, 7. 13.

αὐτὸς ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν] Alii (Elsnerus) per jocum et ut risum moveret amicis haec dixisse. At ne levissimum quidem hujus rei vestigium h. l. inest.

Alii (cf. Wetsten. ad hl.) (coll. Marc. 8, 15.) Antipam Sadducaeorum opinionibus innutritum fuisse et mortuorum resurrectionem negasse.

Alii (Grot., Wolf., Munst., Paul.) μετενσωμάτωσιν, μετεμψύχωσιν eum credidisse censent.

Alii (de Wett.): Antipas, qui neque ad Sadducaeos neque ad Pharisaeos proprie pertinebat, videtur conscientiae stimulis adactus opinionem hanc Pharisaeorum (quorum placita ipsi nota erant,) aliquamdiu adoptasse.

Alii (Fritzsch.), Herodem, allato de Jesu nuntio, ut sunt homines nova, necdum satis explorata, re, ad superstitionem proclives, non nisi hoc innuisse: videri ipsum Johannem relicto Orco in vitam rediisse.

διὰ τοῦτο] i. e. ipsa resurrectione potentior quasi factus.

αἱ δυνάμεις ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ] Alii (perperam) i. q. miracula ἐνεργοῦνται ὑπ᾽ αὐτοῦ.

Alii (ut Bez., Grot.): vires, quarum effectum videmus, vim suam in eo s. per eum exserunt.

vs. 3. κρατήσας — ἔδησεν αὐτὸν καὶ ἔθετο κτλ.] hl. vim Plusquamperfectorum habere recte monent Grot., Kunoel., et Fritzsch.

διὰ Ἡρωδιάδα] **Alii** (Hieronym., Erasm.), filiam Aretae, regis Arabum, falso crediderunt.

Aliis (recte!) est filia Aristobuli, neptis Herodis M., et Mariamnes, quae, postquam nupserat Philippo (qui e Mariamna, Simonis Pontificis M. filia a patre exheredatus privatam vitam egit; igitur non permutandus cum Philippo tetrarcha), incestas nuptias fecit cum ejus fratre Herode Antipa, qui uxorem suam, Aretae filiam, repudiaverat. Hujus monstri artibus supplicio affectus est Johannes B. Maritum a Caligula Lugdunum Gallorum relegatum secuta est. cf. Joseph. Arch. 18, 5.

vs. 4. *οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν αὐτήν*] sp. uxorem, quia frater adhuc superstes erat et filiam jam habebat Salomen. Levit. 18, 16. 25, 5.

Westenius aliique sumunt, Johannem ab ipso Herode arcessitum et de matrimonio cum Herodiade rogatum esse, ut invidiam, quam incestis nuptiis apud populum sibi conflaverat, tanti auctoritate viri dilueret. At certe e Matthaeo id non patet.

Aliam captivitatis necisque Baptistae causam affert Josephus Ant. 18, 5. 2. *κτείνει τοῦτον Ἡρώδης, ἀγαθὸν ἄνδρα καὶ τοὺς Ἰουδαίους κελεύοντα ἀρετὴν ἐπασκοῦντας καὶ τῇ πρὸς ἀλλήλους δικαιοσύνῃ καὶ πρὸς θεὸν εὐσεβείᾳ χρωμένους βαπτισμῷ συνιέναι· οὕτω γὰρ καὶ τὴν βάπτισιν ἀποδεκτὴν αὐτῷ φανεῖσθαι, μὴ ἐπὶ τινῶν ἁμαρτάδων παραιτήσει χρωμένων, ἀλλ' ἐφ' ἁγνείᾳ τοῦ σώματος, ἅτε δὴ καὶ τῆς ψυχῆς δικαιοσύνῃ προεκκεκαθαρμένης. Καὶ τῶν ἄλλων συστρεφομένων, καὶ γὰρ ἥρθησαν ἐπὶ πλεῖστον τῇ ἀκροάσει τῶν λόγων, δείσας Ἡρώδης τὸ ἐπὶ τοσόνδε πιθανὸν αὐτοῦ τοῖς ἀνθρώποις, μὴ ἐπὶ ἀποστάσει τινὶ φέροι· πάντα γὰρ ἐῴκεσαν συμβουλῇ τῇ ἐκείνου πράξαντες, πολὺ κρεῖττον ἡγεῖται, πρίν τι νεώτερον ἐξ αὐτοῦ γενέσθαι, προλαβὼν ἀναιρεῖν ἢ μεταβολῆς γενομένης εἰς τὰ πράγματα ἐμπεσὼν μετανοεῖν. Καὶ ὁ μὲν ὑποψίᾳ τῇ Ἡρώδου δέσμιος εἰς τὸν Μαχαιροῦντα πεμφθεὶς — — — ταύτῃ κτίννυται, τοῖς δὲ Ἰουδαίοις δόξα, ἐπὶ τιμωρίᾳ τῇ ἐκείνου τὸν ὄλεθρον ἐπὶ τῷ στρατεύματι γενέσθαι, τοῦ θεοῦ κακῶς Ἡρώδῃ θέλοντος.*

Ad utrumque secum reconciliandum conjecerunt

Alii (v. c. **Wolfius**.), Matthaeum veram, Josephum autem attulisse causam, quae huic facinori praetexeretur idque non ex sua ipsius, sed Judaeorum tunc temporis opinione.

Alii (**Krebsius** ad h. l. et Deylingius in Observatt. ss. 3, 26. 12.), duas fuisse causas: alteram captivitatis, nempe exprobrationem incestus aliorumque scelerum, quam

Matthaeus; alteram necis, nempe metum rerum novarum, quam Josephus retulerit. At repugnat vs. 8. 10.

Alii (ut Fritzschius) Matthaeum causam, quae in vulgus ederetur, Josephum reconditiorem, sed veram attulisse. Alii utrumque suo marte rem enarrasse.

vs. 5. ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον] tanquam prophetam eum possederunt et eum prophetam putaverunt. Sic ad significationem τοῦ ἔχειν recte Fritzschius; ad usum h. v. etiam recte Bretschneiderus, Kunoelius al. aestimarunt, ut Lat. habebant. Denique ὡς secundum Kunoelium revera significare, nihili est.

vs. 6. γενεσίων] Alii (Heinsius, Exercitt. sacr. p. 52. Relandus, Diss. miscell. 8. p. 257. p. 2. Paulus ad h. l.), diem inaugurationis imperii.

Alii (Kunoel., Fritzsch.), diem Herodis natalem intelligunt, idque recte, quia alias res accuratius erat dicenda.

ὠρχήσατο ἡ θυγάτηρ τ. Ἡρ.] Alii (v. c. Wolf., Kunoel.) de lasciva saltatione, pantomimorum more cogitant.

Alii (ut Fritzsch.), eleganter saltandi arte patri eximie probatam esse Salomen existimant. De saltatione apud Veteres (Graecos, etiam Judaeos?) cf. Platonis et Xenophontis Sympos.; Paulsen, *Regierung der Morgenländer* p. 262. Meyer, *Versuch einer Vertheidigung und Erklärung der Geschichte Jesu u. s. Apostel aus Profanscribenten* p. 207.

vs. 6. προβιβασθεῖσα] προβιβάζειν, inquit Fritzschius, valet aliquem producere h. e. aliquem de ea, in qua fuerat, sententia, depulsum alio perducere. Aliis significare videtur: ad mentem, sententiam aliquam perducere sive eam jam habueris sive addubitaveris nec ne. Alii, ut Bengelius: antea instructa.

vs. 9. ἐλυπήθη] alii: iratus; alii: dolore affectus est (recte!).

διὰ τοὺς ὅρκους κ. τοὺς συνανακειμένους] ob jurisjurandi religionem et convivas qui (ex mente Grotii) gratiam Herodiadis captantes labantem Herodis mentem impellerent, vel (ex aliorum opinione) et ipsi Johannem odio haberent, vel potius qui levitatis eum accusarent.

vs. 10. ἠνέχθη] ex eo quod in ipsis natalitiis celebrandis caput Baptistae allatum sit, Grot., Kunoel. al. conjecerunt, festum illum diem aut Macherunte aut in ejus vicinia celebratum esse, quoniam biduo demum elapso Tiberiadem, sedem imperii, carnifex redire potuerit. At Matthaeus in ipso convivio allatum esse non dixit.

vs. 13. ἐκεῖθεν] noli cum Kunoelio Capharnaumum, sed Nazaretham, quae Antipae parebat, intelligere cf. 13, 54.

vs. 14. ἐξελθών] alii de monte Joh. 6, 3.; alii (Fritzsch.) e reductiore et unde ceterae regionis desertae partes minus sub adspectum caderent, loco; alii e nave.

vs. 15. ὀψίας δὲ γενομένης] hl. de prima vespera; de altera sermo est vs. 23.

ἡ ὥρα ἤδη παρῆλθεν] alii (Kunoel.): magna diei pars jam praeteriit;

alii (Fritzsch.): tempus opportunum, sc. disserendi et sanandi;

alii (Grot.): prandii tempus. Id praeferendum videtur ob sequentia.

vs. 19. ἐπὶ τοὺς χόρτους] non: in graminibus, sed per gramina.

κλάσας] panes in oriente formam placentarum referentes non scindebantur, sed frangebantur cfr. Niebuhrius, *Beschreibung v. Arabien* p. 51. Harmarus, *Beobachtungen üb. d. Orient* vol. 1. p. 206. Winerus, *Realw.* s. h. v.

vs. 20. ἦραν] alii perperam i. q. συνάγειν; hl. tollere, scil. humi.

τὸ περισσεῦον τῶν κλασμάτων] fragmentorum reliquias, nempe duodecim plenos corbes. Alii male: duodecim corbes fragmentorum plenos. Aliena est ab h. l. observatio quorundam: Judaeos per Gentilium et Samaritanorum terras iter facientes, partim quod tunc temporis nulla erant publica hospitia, partim ne forte cibis immundis pollueréntur, cibum secum gestasse. Videtur id factum esse ab hominibus inferioris sortis, partim ut iter magis esset expeditum, partim ut majores caverent impensas.

Si quis contortas hujus miraculi interpretationes cognoscere velit, v. c. eorum, qui ἦραν τὸ περισσεῦον κτλ. de cibis ante coenam oblatis accipiunt; vel eorum, qui (ut Paul. ad h. l.) Jesum exemplum liberalitatis praeivisse censent iis qui in illa hominum multitudine alimenta secum haberent, ut inopiae reliquorum succurrerent,

cfr. Paulus, Comment. ad h. l.
Thiessius, *Neues Test.* vol. 1. p. 247.
Ejusd., *Kritischer* Comment. p. 151. et qui contra disputavit (Möllerus) Kritik *des* Comment. *v. Paulus.*

Novissimis temporibus, ubi universam historiam sacram ad ideas quasdam s. mythos quosdam revocare placet, haud pauci statuunt, prima hujus a Nostro contextae narrationis stamina inesse in symbolica illa panis vitae (Joh. 6,

32 sqq.) descriptione vel panis, quo communio Christianorum (1 Cor. 10, 16.) adumbratur, tum in iis quae de singulari illa homines saturandi vi prophetis concessa (1 Reg. 17, 10 sqq. 2 Reg. 4, 42 sqq.) et denique de Manna et perdicibus illis in ll. moss. leguntur.

cf. Strauss. l. l. de Wette p. 133 sq. Si optio datur, potius cum Paulo Heidelb. faciamus, qui certe factum quoddam historicum reliquit, e quo multo facilius hoc miraculum nasci potuerit.

vs. 22. ἠνάγκασεν] np. sufficientibus rationibus; hl. auctor iis fuit, persuasit iis.

εἰς τὸ πέραν] in ulteriorem ripam. Non confundenda est Bethsaida seu Julias in Gaulanitide, ubi Jesus tum erat, cum ejusdem nominis urbe in Galilaea.

vs. 23. κατ' ἰδίαν] alii ad ἀνέβη ref., alii ad προςεύξασθαι (ut piis vacaret meditationibus.).

εἰς τὸ ὄρος] i. e. montem quem nostis.

vs. 24. τὸ δὲ πλοῖον ἤδη μέσον τ. θαλ. βασανιζ. ὑ. τ. κ.] Wahlius, ἦν cum βασανιζ. conjungens vertit: navis fluctibus agitabatur. Alii recte: navis autem media maris erat, ita ut fluctibus agitaretur.

vs. 25. τετάρτῃ δὲ φυλακῇ] Hebraei, qui ab antiquissimis inde temporibus noctem in tres tantum vigilias diviserant, a Pompejo subacti morem Romanorum secuti in quatuor (cf. Marc. 13, 35. ὀψέ, μεσονύκτιον, ἀλεκτοροφωνία, πρωΐ.) dispescuerunt vigilias, quarum quaeque tres continebat horas.

περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης] nonnulli Codd. habent: ἐπὶ τὴν θάλασσαν, quod etiam recte dicitur.

Alii opinantur, Jesum et Petrum natasse, cf. Boltenius ad h. l. Schmidtius, *Bibliothek* vol. 1. p. 669.

Alii, Jesum nave ad litus paene appulsa, per vada ivisse, cfr. Henkii *Neues Magaz.* vol. 2. p. 743.

Alii vertunt: ambulans ad, juxta mare, vid. Langius, *Uebersetzung und Erklärung der Schriften* Joh. vol. 2. Stolzius, *Uebersetzung d. N. T.* vol. 1. p. 34. et Paulus ad. h. l. At ἐπί c. Genit. et Accus. nullibi hanc vim habet.

Alii, ut Strauss., mythice (coll. 2 Reg. 2, 14. 6, 6.); vel hyperphysice, ut Olshausen.; vel physiologice (coll. Lucian. var. hist. 2, 4.).

Alii: ambulans super, in superficie maris. Recte. cf. Kösterus, *Immanuel od. Charakteristik der neutest. Wundererzählungen* p. 260.

vs. 26. *ἐταράχθησαν*] quod sine dubio non factum esset, si Jesum *ἐπὶ τοῦ αἰγιαλοῦ τῆς θαλάσσης περιπατοῦντα* vidissent.

vs. 28. *ἐπὶ τὰ ὕδατα*] alii jungunt cum *περιεπάτησεν*; alii (male) cum *ἐλθεῖν* ac supplent: natando.

vs. 31. *εἰς τί ἐδίστασας*] cur dubitasti (pr. quid intuitus)?

vs 33. *οἱ δὲ ἐν τῷ πλοίῳ*] aliis discipuli Jesu; aliis nautae in universum, discipulis Jesu simul intellectis.

ἀληθῶς θεοῦ υἱὸς εἶ] quoniam non, sine vi divina, quae Jesu inerat, vis venti cecidisse iis videbatur. Igitur hl. aut: tu es Messias, aut: tu es Deo quam maxime carus.

vs. 34. *εἰς τὴν γῆν Γεννησαρέτ*] i. e. in amoenissimam illam Galilaeae inferioris regionem, ad lacum Tiberiadis, qui inde dictus est *λίμνη Γεννησαρέτ*.

vs. 36. *διεσώθησαν*] persanati sunt.

Cap. XV.

De lotione manuum, cibo interdicto aliorumque quae majores instituerant usu, abusuque 1—20; Jesus mulieris Cananaeae filiam aliosque multos sanat 21—31; quatuor millia mire satiata 32—39.

vs. 1. *τότε*] alii (Chrysost.): post tot tantaque miracula; alii: quum in Galilaea ad lacum Genesareticum versaretur.

οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων γραμματεῖς] legisperitos et Pharisaeos in urbe primaria a doctrina et subtilitate in disputando et auctoritate praecipuam laudem consecutos fuisse bene observat Wetstenius ad h. l.

vs. 2. *τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων*] i. e. traditionem ore factam, praeceptum a majoribus per manus traditum. Haec traditio (*ἄγραφος διδασκαλία*, Hesych.), מסורה et קבלה dicta, tanquam divina, a Deo Mosi (Deut. 4, 14. 17, 10.); a Mose prophetis et ab his posteris communicata a legisperitis Judaeorum fingebatur; quid quod legi divinae haud semel anteponebatur. Quicunque cibum caperet illotis manibus, eum non minus peccare statuebant impostores isti, quam si rem cum meretrice haberet. vid. Schoettg. Hor. hebr. ad h. l. Grot., Wetst., Lightf., Paul. al.

οὐ γὰρ νίπτονται] sp. hora consueta. Nemini in mentem veniet, discipulos impuris manibus cibum cepisse.

vs. 3. *διατί καὶ ὑμεῖς*] alii (Kuinoel.): quare tandem; alii (Fritzsch.): h. sens. et illi migrant (*παράδοσιν*) et vos migratis (*τὴν ἐντολὴν τ. θ.*).

vs. 4. *τιμᾶν*] alii, honore afficere, ad quod etiam pertinet honeste alendi officium; alii minus recte: *εὐεργετεῖν* (Theophylact.), beneficiis ornare. cf. Exod. 20, 12. 21, 17.

vs. 5. *δῶρον*] sc. *ἐστί* i. e. Deo sacratum est, quidquid a me exspectes, nec beneficiis parentes suos ornaverit, i. e. ex vestra opinione non opus est, ut etc. Sic jam recte Theophylactus: *οἱ Φαρισαῖοι πείθοντες τοὺς παῖδας μηδὲν διδόναι τοῖς γονεῦσιν, ἀλλ' ἀνατιθέναι αὐτὰ τῷ θησαυρῷ τοῦ θεοῦ, ἐδίδασκεν αὐτοὺς λέγειν, ὅτι δῶρόν ἐστι, τουτέστιν ἀνατεθειμένον τῷ θεῷ ἐστιν, ὦ πάτερ, ὃ ζητεῖς ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῆναι, καὶ οὕτως ἐμέριζον αὐτοὶ μετὰ τῶν παίδων τὰ χρήματα καὶ οἱ γονεῖς κατελιμπάνοντο ἀγηροκόμητοι.*

καὶ οὐ μὴ κτλ.] alii Aposiopesin; alii Ellipsin; alii apodosin abesse opinantur; hl. is etiam honore non afficiet etc.

vs. 7. *καλῶς κτλ.*] *Ihr Heuchler, Jesaias hat euch in seinen Aussprüchen trefflich geschildert.* Stolzius.

vs. 8. *ὁ λαὸς οὗτος κτλ.*] Jes. 29, 13. hl. hoc hominum, np. Pharisaeorum, genus verbis me veneratur, sed animus eorum a me alienus est, np. contraria docendo.

vs. 9. *μάτην*] i. e. nullum pietatis, quam prae se ferunt, fructum percipiunt.

διδασκαλίας κτλ.] doctrinas, quae sunt mandata hominum. Erasm.

vs. 11. *τὸ εἰςερχόμενον κτλ.*] Grotius (vid. Crit. Sacr. vol. 2. p. 472.): quod ita ingreditur, ut nihil vitii accedat ab humana voluntate. Sens. Nolite curare minutias, rebus gravissimis neglectis.

vs. 13. *πᾶσα φυτεία*] plerique de doctrina, pauci de hominibus et paucissimi de doctoribus accipiunt. hl. de secta Pharisaeorum.

ὁδηγοί κτλ.] Horat. Epp. 1, 17. 4. ut si caecus iter monstrare velit. Sext. Empir. adv. Mathem. 1, 11. *οὔτε δὲ ὁ ἄτεχνος τὸν ἄτεχνον διδάσκειν δύναται, ὡς οὔτε ὁ τυφλὸς τὸν τυφλὸν ὁδηγεῖν.*

Grotius: Si illi consuli sibi nolunt, at nos plebi consulamus, quae alioquin tam caecis usa doctoribus ipsa quoque caeca in exitium ruet.

vs. 15. *τὴν παραβολὴν ταύτην*] i. e. hunc locum communem vs. 11. i. q. *γνώμην*.

vs. 16. *ἀκμήν*] i. q. *ἔτι καὶ νῦν*.

vs. 21. *ἐξελθών*] np. e Galilaea inferiore (14, 34.), e regione Gennesaretica.

εἰς τὰ μέρη] plerique interpr. versus confinia, quoniam fines Palaestinae non transgressus esse videtur. Grotius.

vs. 22. Χαναναῖα] mulier originem ducens a Chananaeis, qui e Palaestina huc migraverant. cfr. Exod. 16, 15. Deutr. 3, 9.

alii: Phoenissa, quia Phoenices originem suam debebant Chananaeis.

ἀπὸ τῶν ὁρίων ἐκείνων ἐξελθ.] alii (Schulthessius in Flatti Magaz. fasc. 8. p. 14.) satis male: ab illis finibus oriunda s. indigena.

ἐκραύγασεν] male Erasmus, Knappius al. cum αὐτῷ conjungunt.

vs. 23. ἀπόλυσον] alii (Kunoel.): auxilio tuo recreatam dimitte; alii (Wahl.): dimitte eam; alii (Erasm., Grot. Fritzsch.): absolve eam, vide de eo quid velit.

vs. 26. οὐκ ἔστι καλόν] rectius legendum censet Fritzschius: οὐκ ἔξεστι, i. e. non jus fasque est.

κυναρίοις] recte monet Kunoelius hanc dictionem proverbialem metiendam esse ex moribus Orientalium ac sine dubio vultu ac voce Jesu mitigatam. hl. i. q. exteris.

vs. 27. ναί] alii affirmantis esse i. e. utique; alii obsecrantis, (obsecro te); alii utrumque conjungunt. Fritzschius: ναί (ἔξεστι), profecto, np. licet cani cibum illo modo impertire.

Sens. Profecto, non jus fasque est me a te repulsam ferre.

vs. 28. γενηθήτω σοι ὡς θέλεις] recte Lutherus: *es geschehe dir wie du willst.*

ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης] ab eo inde tempore; minime i. q. ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ, ut Kunoel.

vs. 29 μεταβὰς ἐκεῖθεν] relictis Tyri ac Sidonis finibus.

vs. 30. ἔχοντες μεθ' ἑαυτῶν] alii: adducentes secum; alii (recte): habentes secum.

vs. 32. ἐπὶ τὸν ὄχλον] i. e. misericordia, quae ad turbam hominum tendat, me occupavit (Fritzsch.).

ὅτι ἤδη ἡμέρας τρεῖς προςμένουσί μοι] haec lectio ex mente Fritzsch. nullo modo ferenda, sed probanda illa: ὅτι ἤδη ἡμέραι τρεῖς εἰσὶ καὶ προςμένουσί μοι κτλ.

de Wettius lect. ἡμέραι (pro ἡμέρας) praefert. Sensus non est, jam per triduum populo defuisse cibum, sed triduo elapso non amplius habere cibum.

μήποτε] alii: ne quando; alii (recte.): ne forte. In dubium

vocarunt hoc miraculum Schleiermacherus, Schulzius, de Wettius, Straussius al. inprimis ob similitudinem c. 14, 13 sqq.

vs. 39. Μαγδαλά] alii castellum; alii oppidum in ditione Gadarenorum haud procul a Capharnaumo situm et Gamala.

Cap. XVI.

Pharisaei signum de coelo poscunt 1—4.; de fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum cavendo 5—12.; Petri de Jesu Messia professio 13—20.; Jesus mortem suam ac resurrectionem praedicit 21—23; de sorte indoleque suorum disserit 24—28.

vs. 1. ἐπηρώτησαν] quaerentes npj calumniae occasionem petierunt, Grot. Haud pauci (de Wett., Schneckenb.) dicunt, a vero abhorrere, has sibi invicem infestas sectas societatem iniisse incredulosque Sadducaeos signum de coelo cupivisse. Multis quam maxime verosimile videtur.

vs. 2. εὐδία] sc. ἔσται i. e. serenitas erit; nam rutilat coelum. Erasm. Plin. H. N. 18, 185. Sol ventos praedicit, cum ante exorientem eum nubes rubescunt. Si circa occidentem rubescunt nubes, serenitatem futurae diei spondent.

vs. 3. ὑποκριταί] alii: pietatis simulatores; alii: homines maligni, qui signa temporum pro inveterata sua pervicacia recte judicare non possunt i. e. possunt, sed nolunt.

διακρίνειν] i. e. ita discernere, ut inde praedicetis, quae immineat tempestas atque ad ea praesagia (διοσημεῖα) componatis res vestras. Grot.

τὰ σημεῖα τῶν καιρῶν] alii i. q. τούτων τῶν καιρῶν h. s. e miraculis meis colligere non potestis, me esse Messiam? Alii (recte): signa temporum in universum, ad quae etiam miracula Messiae pertinent. Sens. h. l. Si providentia div. tam benigna fuit in homines, ut sereni, venti pluviae signa quaedam praemitteret, quanto aequius est credi ab eadem data esse signa imminentis adventus Messiae, quae non ad dilationem itineris alicujus etc., sed ad vitam beatam pertinent. Ad illa vos satis diligenter attenditis; ad haec, quasi nulla essent data, vobis aut non vacat aut non lubet attendere. Si prophetarum oracula tam sollicite inspiceretis, agnosceretis instare finem hebdomadum Danielis — — populi mores depravatissimos, ipsos doctores populi, qui vos estis, omnem religionem exstinguere; contra a me proponi veram doctrinam, caecis reddi per me visum, claudis gressum etc., quae omnia certissima sunt regni Messiani signa. Grot.

οὐ δύνασθε] quia non vultis.

vs. 4. cf. 12, 39.

vs. 5. *καὶ ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ κτλ.*] Alii, ut Grotius, Jesum haec, quum in ulteriorem ripam proficiscerentur, in ipso navigio cum suis locutum esse.

Alii: quum trajecissent apostoli, viderunt, se oblitos esse etc. Recte; nam 15, 39. Jesus solus, conscenso navigio, in agrum Magdalensem se contulisse legitur, et nunc demum apostoli eum secuti sunt.

vs. 6. *ἀπὸ τῆς ζύμης*] hl. cavete vobis a perversa Pharisaeorum doctrina.

διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς] (noli *ἐν ἑαυτοῖς* jungere cum *λέγοντες*.)

Alii: clara voce disputabant;

Alii: inter se reputabant.

ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβομεν] Alii (Kunoel.) subint. *ταῦτα λέγει* h. m. hi autem inter se disceptabant: hoc dicit: panem non attulimus.

Alii (Grot.): ideo scilicet hoc dicit, quia panem non attulimus.

Alii (Palaret., Fritzsch.): panem non attulimus. Nam *ὅτι* indicat ipsa apostolorum verba sequi.

vs. 8. *ὀλιγόπιστοι*] hl. parum fidentes potentiae Messiae.

vs. 9. *οὔπω νοεῖτε;*] nondum sapitis i. e. ne nunc quidem, posteaquam jam bis miro modo famem depuli? 14, 15 sq. 15, 32 sq. (Fritzsch.)

vs. 11. *πῶς οὐ νοεῖτε;*] (recte Kunoel.) qui fit, ut non intelligatis?

προσέχετε δὲ ἀπὸ τ. ζ.] alii (Paul.): *hütet euch doch, sagte ich, vor dem Sauerteige* etc.;

alii (Griesb., Gersd., Fritzsch.) h. m. qui fit, ut non intelligatis, me vobis non dixisse de pane, sed (dixisse me): cavete vobis a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum? Lectio vulgaris: *εἶπον ὑμῖν προσέχειν*, et lectio: *προσέχετε*, omissa vocula *δέ* rejicienda est.

vs. 13. *ἐλθών*] alii (Grot., Kunoel.): quum proficisceretur; alii (recte!): postquam venerat.

εἰς τὰ μέρη Καισαρείας τῆς Φιλίππου] urbs Gaulanitidos (antiquissimis temporibus Lais dicta — לַיִשׁ Jud. 18, 18.) ad radicem montis Libani juxta fontem Jordanis sita, Phoenicibus a monte Paneo, cui adjacet, Paneas nominata,

a Philippo tetrarcha ampliata et exornata et in honorem Tiberii Caesaris Caesarea appellata est. Joseph. Ant. 18, 2. Eandem Agrippa minor in honorem Neronis Neroniam appellavit. Joseph. Ant. 20, 8. 9. Hodie ad incidas redacta Belinas vocatur. Differt igitur a Caesarea Palaestinae, quae simpliciter Caesarea vocabatur.

τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου;]

Alii (Bez., Cleric.): quem me dicunt homines esse? an Messiam?

Alii (Paul.): quem me, hunc hominem, esse dicunt homines?

Alii (Wolf., Elsn.), per trajectionem h. m. quem me, *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου*, dicunt esse.

Alii (Mill., Bengel., Kunoel., Fritzsch.) deleto *μέ*, interpr. quem filium hominis i. e. me, homines esse dicunt? cf. vs. 15.

vs. 14. *Ἰωάννην τ. Β.*] „Id ad *παλιγγενεσίαν* referri nequit. Multi Hebraeorum putabant, eos tantum resurgere qui ob legem divinam mortem oppetiissent, ut ex Tacito patet et quo pertinere videtur 2 Maccab. 7, 9. *ὁ δὲ τοῦ κόσμου βασιλεὺς ἀποθανόντας ἡμᾶς ὑπὲρ τῶν αὐτοῦ νόμων εἰς αἰώνιον ἀναβίωσιν ζωῆς ἡμᾶς ἀναστήσει.* — Quare quibusdam etiam in hoc seculo repraesentari resurrectionis tempus crediderunt. *Ἠλίαν*, hoc neque ad *παλιγγενεσίαν* neque ad *ἀνάστασιν* proprie referendum. Nam quia Elias corpore sursum raptus legitur, ideo is ipse rediturus putabatur, et quidem ante Messiae tempora (e vaticinio Malach. male intellecto). Nonnulli tamen venturum eum volunt in alio corpore, ut D. K. notavit ad Malachiam. *Ἱερεμίαν*, hoc potest ad *παλιγγενεσίαν* referri. Nam Hebraei exspectabant reditum Jeremiae, ut ex Gorgonide apparet. Imo quidam animam Jeremiae renatam in Zacharia existimabant, quomodo animam Phineae in Eliae. Sed potest etiam de resurrectione accipi, ut quod sequitur.“ Grot.

Habuerunt igitur Jesum pro praecursore Messiae, quem alii Eliam, alii Jeremiam, alii alium quendam prophetarum fore opinabantur.

vs. 16. *ἀποκριθεὶς δὲ Σίμων Πέτρος*] quippe fervidiore ingenio praeditus.

τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος] opp. idolis vita destitutis (חַי אֱלֹהִים.); alii (de Wett.) hl. quia Deus numine suo in Christo efficax fuerit.

vs. 17. *βὰρ Ἰωνᾶ*] filius Jonae, non Johannis, ut multi opinati sunt = *Ἰωάννου*, per contractionem.

σὰρξ καὶ αἷμα] בָּשָׂר וָדָם, alii homines; alii mens tua; alii imbecilles, fragiles homines. Sens. Neque ab aliis discere neque ex tuo ingenio haurire potuisti.

vs. 18. *κἀγὼ δέ*] hl. dico vero ego quoque tibi i. e. sicuti tu honorifico, ceterum vero, testimonio me ornasti, ita ego quoque idem in te facio. Fritzsch.

σὺ εἶ Πέτρος] (כֵּיפָא i. e. rupes Joh. 1, 43.), honoris caussa, ob firmissimam, Jesum esse Messiam, persuasionem hoc nomen Simoni dederat.

καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ κτλ.] Alii i. q. *τοιαύτῃ*, super tali, tam firma rupe. cfr. Doeringius, Comment. in Matth. 16, 13—18. Baruthi 1794.

Alii: et in hac rupe exstruam ecclesiae meae aedificium.

Perperam Pontificii ex hoc loco tyrannidem suam defendere conati sunt, quum nihil aliud insit nisi: tu es quasi *στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἐκκλησίας*, praecipuus doctor. cfr. Matth. 20, 26. 18, 1. 18. Act. 15. 1 Petr. 5, 1, 2., unde longe alia colligi possunt. cfr. Casaubonus, Exercitatt. ad Ann. eccles. Baronii p. 309—388. quatuor protulit l. l. interpretationes: primam eorum, qui unumquemque fidelium Petri nomine designari statuerent: alteram eorum, qui sub petra Petri fidem s. confessionem: tertiam eorum, qui per petram *κυρίως* Petrum intelligendum esse: quartam eorum, qui Christum ipsum (etenim verba proferens: „super hac petra“ semetipsum digito quasi monstrasse,) sub petra intelligerent.

καὶ πύλαι ᾅδου] hl. vis maxima, fortissima, eam (sc. ecclesiam) non superabit. Hic, inquit Grotius, Christi corpori i. e. populo credentium, promittitur, fore, ut mors ipsa, cujus maximum et insatiabile est regnum, non eas vires habeat, ut eos detinere possit sub suo jure ac potestate. Nam qui credit, transiit de morte in vitam, Joh. 5, 24. 11, 25. 26. 1 Cor. 15, 55. Ephes. 5, 25.

De Orco (שְׁאוֹל) vid. praeter alios

Herderus, *Geist d. hebr. Poesie.* vol. 1. p. 218 sq.

de Ammonius, *über das Todtenreich d. Hebr. in* l. Paulus, *Memorabilien* fasc. 4. p. 188 sq.

Denique nullo modo consentire possumus cum Fritzschio qui „Ceterum, inquit, quum Jesus non nisi hominum ad Messiae mox prodituri adventum virtutis commendatione et miraculis erigendorum administraverit provinciam nec ulla ejus reperiatur disertior, qua discipulos de condendo

coetu sacro monuerit, vox, Apostoli autem sublato in coelum magistro ad nihil minus quam ad condendum novum, cui nihil plane cum Judaeis commercii esset, coetum adjecerint animum, sed sensim sensimque, suadentibus temporum rationibus, Christianorum societas a Judaeis discesserit, non est temeraria suspicio, Jesu aliquod dictum, quum jam esset quaedam Christianorum societas constituta, in hanc partem interpretatum esse scriptorem." Jesum peculiarem coetum condere voluisse, videtur satis superque patere partim e disertissimis N. T. locis, ut Matth. 11, 12. 16, 18. 28, 18. 19. Luc. 17, 20. 21. al. partim ex tota ejus agendi ratione vitaque. Neque Christus obscure hac de re locutus est, sed res diutius quam par erat obscura fuit apostolis, quod ipsi non negant.

vs. 19. *δώσω σοι τὰς κλεῖς κτλ.*] i. e. dabo tibi potestatem homines in regnum Messianum recipiendi et excludendi.

καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς κτλ.] Alii: quibuscunque veniam peccatorum concesseris aut denegaveris, id quoque ratum erit apud Deum. Sic Grot., Erasm., Schmid., Flatt.

Alii, ut Olearius: quibuscunque morbos immiseris aut depuleris etc.

Alii: quoscunque repuleris (ab ecclesia mea) in his terris, ratum id erit judice Deo; quoscunque vero (in ecclesiam meam) admiseris, itidem ratum erit judice Deo. cf. Thaddaei Comment. in effatum Christi Matth. 16, 18. Colon. 1789. et Rosenmulleri Schol. ad h. l.

Alii (Kunoel., Wahl., Fritzsch.): quamcunque rem in terra concesseris s. licitam declaraveris, in coelo concessa erit; et quamcunque in terra interdixeris, interdicta erit in coelo. Innuitur, voluntatem Petri cum Dei voluntate fore congruam. — Haec potestas Petro primum, postea etiam reliquis conceditur discipulis (18, 18.).

vs. 20. *διεστείλατο*] non: graviter interdixit, ut multi voluerunt, sed praecepit, monuit, ne cuiquam dicerent. Loesn.

vs. 21. *ἤρξατο δεικνύειν*] nullibi est i. q. *ἔδειξε*; non sine caussa additum est.

καὶ πολλὰ παθεῖν ἀπὸ τ. πρεσβ.] *ὑπό* non est i. q. *ἀπό*, ut haud paucis visum est. Illud proximam, hoc remotiorem causam innuit. hl. ex eo inde tempore coepit Jesus demonstrare discipulis suis, esse in fatis, ut Hierosolyma profectus multa pateretur a senioribus, summis sacerdotibus et legum peritis (= synedrio magno) ex Dei voluntate.

καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι] Multi Christum resurrectionem suam praevidisse ac praedixisse negant. Ex his

Alii opinantur, formulas *ἀναστῆναι, ἐγερθῆναι τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ* (i. e. brevi tempore,) et quae iis oppositae sint, ut *ἀποκτανθῆναι*, improprie esse intelligendas, quibus Christus non nisi hoc significare voluerit: post interitum regni sacrorumque Judaeorum regnum Messianum sacraque a me instituta latissime laetissimeque efflorescent. — Sine dubio menti Salvatoris obversatae sunt similes de republica Judaica intereunte ac renascente imagines, ut Jes. 26, 14. 19. Ezech. 37, 5 sqq. Hos. 6, 2. Daniel 12, 2. 3.

Alii censent formulas illas proprie quidem accipiendas esse, sed eas auctores habere Apostolos, qui, quae Christus aliis similibusve verbis de incrementis rei Christianae, quae ne mors quidem ipsi destinata incaesura sit, disseruisset, post reditum Jesu ab inferis, his formulis essent elocuti. (Joh. 2, 19. 20. 4, 21 sqq.)

Alii (Fragmm., Guelph., Paul., de Wett., Strauss.) his pugnant rationibus: 1) discipuli Jesu ejusque amici nullam ejus resurrectionem exspectant; imo, quum in eo sunt, ut corpus ejus sepulturae praeparent, stupent vacuo sepulcro attoniti (Joh. 20, 2. Luc. 24, 12.); 2) pro nugis habent, Jesum a nonnullis visum esse nec prorsus dubitare desinunt (Luc. 24, 11. Joh. 20, 23. Matth. 28, 17.). Si vaticinium illud antea non perceperant, certe nunc, eventu comprobatum non poterant non in memoriam revocare et percipere. Quod quum non factum sit, recte inde colligitur, Chr. resurrectionem suam non praedixisse, id quod etiam Joh. 20, 9. disertis verbis innuitur. de Wett. p. 143.

cfr. Paulus, Meletemata ad historiam dogmatis de resusrectione mortuorum. Jen. 1796.

Ejusd. *Kritischer* Comment. ad. h. l.

Herderus, in l. *v. Erlöser* p. 133 sqq.

Briefe üb. d. Ev. Johannis in l. Eichhornii: *Allgem. Bibl.* vol. 7. p. 1039 sqq.

Henkius, diss. Johannes apost. nonnullorum Jesu apophtegmatum in Evang. suo et ipse interpres. Helmst. 1798. (etiam in Sylloge comm. a Pottio etc. vol. 1. p. 8 sqq.)

Gurlitti Lectt. in N. T. specim. 5. Hamb. 1805.

Reinhardi diss. de Christo suam, dum viveret, resurrectionem praedicente. Viteb. 1784.

Suskindius, *Einige Bemerkungen über die Frage: ob Jesus s. Auferstehung bestimmt vorher gesagt habe?* in l. Flatti, *Magaz.* fasc. 7. p. 203. fasc. 9. p. 171.

Quamquam Christus haud semel mortem violentam suamque resurrectionem primum obscurius, deinde apertius

suis significavit, tamen fidem non habuerunt Apostoli, praeconceptis, ut videtur, praepediti opinionibus. Quare non mirum est, eos morte Christi animum abjecisse; nam cessante caussa cessat et effectus.

vs. 22. *προςλαβόμενος*] alii: complectens; alii: seorsim eum abducens; alii (recte!): manu prehendens.

ἵλεώς σοι, κύριε] alii (Elsn.): sis bono placidoque animo! alii (Grot.): malum omen Deus averruncet, domine!

vs. 23. *στραφείς*] mire Grotius: vultu ad majorem severitatem composito: hl. conversus ad P. dixit. de Wettius: *ihm mit Abscheu den Rücken wendend.*

σκάνδαλόν μου εἶ] tu es mea offensio: praeferenda videtur Fritzschio lectio: *σκάνδαλον εἶ ἐμοί*: i. e. tu es mihi s. meo judicio offensioni: np. quia ea curare jubes, quae ad hujus vitae commoda pertinent, posthabitis Dei negotiis, quae omnibus potiora esse debent.

vs. 24. *ἀπαρνεῖσθαι ἑαυτόν*] semetipsum et commoda sua non spectare. hl. vitae suae prodigus.

αἴρειν τὸν σταυρὸν αὐτοῦ] calamitates, quae imminent, perferre. vid. c. 10, 38. 39. Grotius: ne detrectet mala quae ipsi inferuntur ob causam pietatis: alii: ut sponte sua suscipiat etc.

vs. 26. *τί γὰρ ὠφελεῖται*] sens. optimo jure dixi, vitam in discrimen esse vocandam. Quid enim prodest (non: proderit, ut Kuinoel.).

ἢ τί δώσει ἄνθρωπος κτλ.] Alii: et quodnam pretium quis dabit s. dare poterit pro vita sua?

Alii (Grot.): quam multa et magna libenter daret sui conservandi gratia!

Alii: vel (*ἢ*, quod nullibi est i. q. *καί*) quid dabit redimendae animae pretium i. e. nullum dabit, quia mortuus in vitam redire non potest. Fritzsch.

Sens. totius loci est hic: Qui vitam periculis exponere recusat, ejus jacturam faciet; qui magno animo eam contemnit, eam conservabit omnium rerum pretiosissimam. Quare si vos constantes mei eritis sectatores, uberrimi ad vos redundabunt fructus, nempe vita beata. Est enim in fatis, ut ego Messias suis cuique meritis digna reddam praemia.

vs. 27. *ἔρχεσθαι ἐν τῇ δόξῃ τ. πατρός κτλ.*] alii ref. ad excidium Hierosolymorum; alii ad judicium extremum; alii ad inaugurationem regni Messiani. Recte!

vs. 28. *εἰσί τινες τῶν ὧδε ἑστῶτες*] quae lectio Bengelio, Fritzschio al. probata utrum lectioni *τῶν ὧδε ἑστώτων* praeferenda sit dubitari potest. Illam recte explicuit Fritzschius h. m. eorum qui hic adsunt, adstant quidam = *εἰσί τινες τῶν ὧδε ὄντων ἑστῶτες*, (sc. ex discipulis vs. 24.), qui non experientur mortem.

ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ] Alii: donec viderint Messiam abeuntem in regnum suum s. regem constitutum esse, vid. Storii Opusc. vol. 1. 262.

Alii (Kunoel.): donec viderint me Messiam venientem cum regno meo.

Alii (Fritzsch.): venientem in regno suo i. e. in medio quasi regni splendore.

Cap. XVII.

Jesus in monte luce div. collustratur 1—13.; lunaticum sanat ac diffidentiam Apostolorum vituperat 14—21.; mortem ac resurrectionem iterum praedicit 22. 23.; de statere in ore piscis 24—27.

vs. 1. *μεθ' ἡμέρας ἕξ*] sc. sermonibus illis ad discipulos (16, 13 sqq.) finitis. Lucam (9, 28.) non exacte dies enumerasse, ipsa vox *ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτώ* indicat.

παραλαμβάνει κτλ.] Constat, Petrum, Jacobum et Johannem fuisse e Jesu familiarissimis.

εἰς ὄρος ὑψηλόν] alii de monte Sinai (quod plane absonum est); alii de monte Thabor in Galilaea inferiore altissimo et celeberrimo (cfr. Korte, *Reise nach d. gelobten Lande* vol. 2. p. 315. Paulus, *Sammlung d. merkw. Reise i. d. Orient* vol. 1. p. 143. vol. 2. p. 106.); alii de Itabyrio;

alii de monte quodam in vicinia Caesareae, ubi Jesus tunc temporis versabatur, (fortasse Paneo Hermonis cacumine ut Paulus in Comment., Hasaeus in sylloge diss. p. 132. et Lightfootus in H. hebr. s. et de Wettius l. l.) cogitarunt.

vs. 2. *καὶ μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν*] iis inspectantibus (aliter Lucas 9, 32.) aliam corporis speciem induit, nempe splenduit facies ejus solis instar; vestimenta autem ejus alba reddebantur lucis (alii solis) instar.

cf. de splendore in facie Mosis repercusso Exod. 34, 30—35.

vs. 3. *ὤφθησαν αὐτοῖς Μωϋσῆς καὶ Ἠλίας*] sperabant Judaei, fore, ut Moses et Elias ab inferis excitati ad regnum Messianum inaugurandum redirent; cfr. Eisenmeng.,

Schottg., Wetst., in ll. ll. Hinc conjiciendum est, sermonem fuisse de rebus Messianis. Quomodo autem apostoli eos adesse noverint, utrum e sermonibus, quos habebant, an postea demum per Jesum etc., dici non potest.

vs. 5. *νεφέλη φωτος ἐπεσκίασεν αὐτούς*] umbra lucis i. e. nubes fulgens levi umbra eos (alii discipulos; alii quicunque aderant; alii Jesum, Mosen et Eliam) obduxit; alii (Fisch., Kuinoelius): cinxit, circumdedit. Lectio: *νεφέλη φωτεινή* est interpretamentum.

vs. 8. *τὸ ὅραμα*] hl. de specie vigilanti oblata.

vs. 10. *τί οὖν οἱ γραμματεῖς λέγ. κτλ.*] Alii (Chrysost., Euthym.) Tu es Messias; cur igitur etc.

Alii (Capell., Kuinoel.): quid tibi vis hoc tuo interdicto, quo, ne narremus visum, prohibes? nonne eo quum Malachiae vaticinium (3, 23.), tum legisperitorum confirmatur doctrina?

Alii (Fritzsch.): Apostoli quum vidissent, nihil eorum quae de Elia exspectabant, (nempe, ut res Judaeorum in integrum restitueret, dissidia doctorum componeret, populo Judaico egregia ornamenta (urnam Mannae et virgam Aaronis) redderet), evenisse, interrogarunt: quid igitur contendunt legis doctores, venturum ante Eliam, ut quibusdam fungatur muneribus? = dic, quid de magistrorum judaicorum, Eliam varii generis officiis praeponentium, opinione sentiendum sit, quum modo viderimus, Eliam ea minime in se recipientem?

Ex de Wettii sententia hi triumviri Eliae apparitionem et praesentiam desiderantes ut de dignitate Jesu Messiana dubitantes quaesivisse putandi sunt.

cf. Winzeri progr. de *ἀποκαταστάσει πάντων* in N. T. scriptis tradita. Lips. 1821.

vs. 11. *πρῶτον*] antequam regnum Messianum inauguratur.

Ἠλίας μὲν ἔρχεται] haec dicta sunt ex opinione Judaicorum doctorum, quam corrigens Jesus addit: *λέγω δὲ ὑμῖν — ἤδη ἦλθε.*

Alii (ut Paul.): *ein Elias,* non: *ὁ Ἠλίας.* h. m. *Die Rabbinen zwar, an deren Meinung ihr mich erinnert, sagen eigentlich: Elias komme und müsse eine völlige Restitution ausführen. Ich aber sage euch: das letztere ist keineswegs der Fall; keineswegs muss, ehe ich als Messias geltend auftreten kann, schon eine* restitutio in integrum *bewirkt seyn. Erwartet folglich nicht in dieser*

Beziehung einen Elias. Ich vielmehr sage euch, ein Elias, ein Mann ἐν δυνάμει Ἠλίου etc.

Alii (ut Kuhnoel.), Jesum verba doctorum Judaicorum per ironiam laudasse opinantur.

ἐποίησαν ἐν αὐτῷ] Hebraismum redolet, עשה ב.

In toto hoc loco explicando (exceptis iis qui rem verbotenus admittunt,) quadruplicem viam ingressi sunt interpretes.

I. Alii somnium fuisse censent, ut

a) Ravius, qui haec habet: Jesus vespera cum suis monte conscenso in precibus alta voce fundendis mentionem fecerat Mosis et Eliae. Discipuli interim somno oppressi, audito eorum nomine, somniabant, Jesum revera cum utroque verba facere. Jam subito tempestate oborta tonitru fulgoreque somno excitati Jesum igne collustratum vident et somnolenti adhuc opinantur, certe unus ex iis, Mosen et Eliam Christo revera adesse. cfr.

Ravius, Symbola ad illustrandam Evangelistarum de metamorphosi Jesu Christi narrationem. Erlang. 1797.

b) Eadem fere habet Gablerus: Christo in monte haud procul a suis preces fundente, et ipsi apostoli a Deo flagitarunt, ut quamprimum Messias omnibus ornamentis conspiceretur. Idem animo volventes ac memores praecursorum Messiae, Mosis et Eliae, somno sese tradunt, per quem, tempestate subito oborta, jamjam Messiam cum summo splendore et majestate et ex opinione Judaeorum etiam Mosen et Eliam ab inferis excitatos videre sibi videntur. Petrus, quo diutius laetissimo spectaculo frui possit, tria tuguria animo designat, sed vi tempestatis, quae propius jam accesserat, cum reliquis e somno excitatur atque ex tonitru conjicit, Jesum esse Messiam. cfr.

Gablerus, *Neuestes theol. Journal* vol 1. fasc. 1. p. 505 sqq.

c) Kunoelii sententia ad haec redit: Apostoli, et suis et Christi precibus finitis, quum, animis silentio noctis montisque altitudine mirifice erectis, memores colloquii Matth. 16, 13 sqq. cum magistro de splendidissimo Messiae regno ejusque praecursoribus Mose atque Elia (Petro inprimis de Mose Exod. 34, 29. et de Elia 2 Regg. 2, 11. recordante,) confabulantur, per somnum, quae vigilantes locuti fuerant, tempestate species oblatas, ut fit, augente, Mosen atque Eliam oculis usurpare opinantur. Jam fragore coeli excitati duos discipulos, qui e vicinia venerant, abeuntes et, quemadmodum Jesum, luce coelesti collustratos conspiciunt, quos per errorem pro Mose atque Elia habent. Tum reliquis perturbatis Petrus, sui quasi non

compos et ubi locorum immemor, exclamat: juvat hic tria condere tuguria! Qua voce emissa omnibusque splendida luce collustratis ex ingenti coeli fragore, quo prosternuntur, colligunt: Jesum esse Messiam. Fidem autem Apostolorum hac re confirmatam quum vidisset Jesus, opinionem eorum minime refutat, tantummodo rem ante resurrectionem suam divulgari vetat. Silentio igitur rem premunt et post Christi demum mortem enarrant, conjicientes fortassis etiam e verbis Christi Matth. 17, 2. 9. Mosen atque Eliam cum magistro esse collocutos.

At Evangelistae rem non ut somnium, sed ut rem in facto positam describunt et quod Jesus vs. 9. ὅραμα vocat, non est i. q. visio.

II. Alii visionem inesse censuerunt, ut

Herderus, *Vom Erlöser der Menschen*. Rig. 1796.

Gratzius l. l. — At et discipuli et Jesus id quod factum est oculis usurpant.

III. Alii oculorum fraudem fuisse arbitrantur, ut Paulus ad h. l.

Paulus haec habet: Jesus cum tribus familiarissimis suis nocturno tempore altissimum conscenderat montem, qui, ipso preces fundente, somno indulgent. Alto somno sopiti voces quasdam percipiunt, quae de fatis Jesu Hierosolymis subeundis ipsis agere videbantur. Expergefacti Jesum eximia vident luce collustratum simulque duos homines, quos Petrus, ut erat praeceps ingenio, pro Mose et Elia habet ac memor consilii, quod Christus ceperat, (Matth. 16, 22.) confestim tria se tuguria conditurum promittit, ad quod, ut erat temere dictum, nemo eorum attendisse videtur, idque eo minus, quum Jesus cum duobus illis ignotis longius progreditur. Eodem tempore nubes quaedam, quod phaenomenon in altioribus montibus haud rarum est, omnes obumbrat, qua re apostoli majore etiam timore perturbantur. Jesus ac duo illi ignoti, densissimam ingredientes nebulam, quum in eo sint, ut separentur, rebus de quibus sermo est quam maxime intenti tam clara voce disserunt, ut discipuli relicti vocem audiant: hic est filius meus, qui mihi egregie placet. Hac voce perterritos offendit Jesus, eosque, bono ut sint animo, hortatur. Quem quum solum conspexissent, paulatim terrore suo liberantur — et multo tempore — quippe altum silentium agere tenebantur — elapso rem, quantum in ipsis situm erat, suo quisque modo explicare ac perscribere conantur. cfr. Comment. ad h. l.

IV. Alii a) mythum philosophicum statuunt, ut Schulzius, l. l. p. 319., qui ad loca quaedam V. T. (Exod. 34, 29.

Deutr. 18, 15. Ps. 2, 7.) Matthaeum respexisse opinatur. Praeter hunc alii hunc mythum confictum esse censent, ut probaretur, in Jesu eadem quae summis Judaeorum doctoribus revera evenisse vel

b) mythum sacrum inesse statuunt, ut de Wettius, qui: Haud semel, inquit, in N. T. (Joh. 12, 16. 23. 17, 5. 22. 24. 2 Cor. 3, 18.) de δόξᾳ quadam Christi, quae a morte ejus et obedientia pendet, sermo est. Simile quid etiam hl. innuitur; nam etiam quoad mortem suam (ἔξοδος, Luc. 9, 31.) et postquam verba de ea fecerat (Matth. 16, 21.) et piis intentus meditationibus (Luc. 9, 1,) glorificatur. Quae Salvatoris δόξα, alias quidem non nisi ad animum pertinens ac coelestis, hoc in loco ad corpus pertinens ac terrestris fingitur s. sistitur, qualem Deo tribuere solebant Hebraei, cujus splendor in facie Mosis repercussus dicitur (Ps. 104, 2. Exod. 34, 29. 24, 1. 9—11. 16—18.).

Haec igitur Christi glorificatio est quasi symbolum illius sublimioris vel splendor visibilis ex illa invisibili coelestique repercussus.

cf. etiam Strauss. l. l. vol. 2. p. 263.

vs. 14. πρὸς τὸν ὄχλον] ad hominum, qui ex agro Caesareae (16, 13.) convenerant, multitudinem.

vs. 15. ὅτι σεληνιάζεται κτλ.] quia comitiali morbo laborat ac foede cruciatur; saepe enim incidit in ignem ac saepe in aquam.

Coelius Aurelian. de morbis chronic. 1, 4. Alii, inquit, (sc. epileptici) publicis in locis cadendo foedantur, adjunctis etiam externis periculis loci caussa praecipites dati aut in flumina vel mare cadentes. cf. etiam Celsus de medicina 3, 23.

vs. 17. ὦ γενεὰ ἄπιστος καὶ διεστραμμένη] Alii, ut Chrysost., Theophyl., Grot. putant haec dicta esse in aegroti patrem ejusque amicos, Judaeis tamen incredulis non exemptis.

Alii, ut Wolf., in doctores Judaicos Jesum esse invectum.

Alii, ut Kyp., Paul., Kuinoel., in patrem, legisperitos, discipulos reliquamque turbam.

Alii discipulos Christi intelligunt. Recte! nam ἄπιστος γενεά h. l. est hominum genus, quod suis ipsius viribus diffidet. cf. vs. 20.

vs. 18. ἐπετίμησεν αὐτῷ] alii (Kuinoel.) ad genium malum, morbi auctorem;

alii (Elsn., Win.), ad aegrotum referunt.

vs. 20. *ἐὰν ἔχητε πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως*] alii (Moellerus l. l. p. 109 sq.) fiduciam quae, ut granum sinapis, permagna incrementa capit;

alii (recte!) perexiguam fiduciam interpretantur. Si vel tantillum haberetis fiduciae. Grotius.

τῷ ὄρει τούτῳ] monti, quem digito monstro: hl. res difficillimas praestaretis. Grotius.

vs. 21. *τοῦτο δὲ τὸ γένος*] alii, ut Fritzschius genios malos in universum; alii, ut Grotius, certum eorum genus, ad quod ille a Jesu expulsus pertinebat; alii ut Theilius, de Apostolis h. m. haec hominum natio non nisi jejunia cogitat et preces.

vs. 24. *οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες*] *δίδραχμον*, erat nummus argenteus duas aequans drachmas atticas s. dimidium sicli Judaici s. quartam partem imperialis (בֶּקַע Exod. 28, 26.), cuivis Judaeo ab anno aetatis vicesimo usque ad quinquagesimum quotannis solvendus ad templum tuendum et sacra conservanda. Sic hl. cfr. Michaelis *Mos. Recht.* vol. 3. p. 213.

Alii (cfr. Wolf.) ab Herode, tetrarcha Galilaeae imperatum sine ulla causa credunt; nam hac de re nihil relatum legitur.

Alii (Bez., Wolf.), tributum a Romanis singulis hominibus impositum intelligunt. At id sub Vespasiano demum factum est.

Alii tributum et templo et Tiberio Caesari debitum intelligunt.

ὁ διδάσκαλος ὑμῶν οὐ τελεῖ τὰ δίδραχμα;] alii (ut Chrysost., Kunoel.), urbanitatem quandam in his verbis inesse opinati sunt;

alii contrarium, ut Fritzschius, qui haec addit: „speramus, vestrum doctorem non novum introducturum morem, ut pecuniam sacram sibi pendendam neget, sed facturum, quod officii sit."

Haud pauci (utrum probabiliter nec ne, dici non potest,) interpretes conjecerunt, doctores Judaicos proprie immunes fuisse ab hac pecunia solvenda, permultos tamen religione ductos sponte sua eam solvisse.

vs. 25. *προέφθασεν αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς*] alii, Jesum quippe rerum occultissimarum gnarum eum interrogavisse, priusquam Petrus de exactorum postulatione Jesum certiorem reddere posset;

alii, Jesum jam antea de illa exactorum exactione audivisse. At ex Matthaeo res non liquet.

τέλη ἢ κῆνσον] vectigalia aut censum.

ἀπὸ τῶν υἱῶν αὐτῶν ἢ ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων;] hl. a filiis suis an a civibus?

Alii a civibus indigenis an exteris?

vs. 26. ἄραγε ἐλεύθεροί εἰσιν οἱ υἱοί] itaque ergo immunes sunt filii. Quaeritur, quomodo Jesus hanc vocem ad se transtulerit?

Alii: Si filii regum immunes sunt, ego etiam, quia ad Davidis familiam pertineo.

Alii: Si filii regum immunes sunt, ego etiam, quia Dei filius (i. e. Messias) sum. Sic hl.

vs. 27. ἵνα δὲ μὴ σκανδαλίσωμεν αὐτούς] sed ut ne iis (np. exactoribus) offensioni simus;

alii, J. demonstrare voluisse, se minime subjectum esse legibus V. T. templariis (Olshausen.); alii Jesum Petro significare voluisse, leges illas Mosaicas non nisi sub conditionibus quibusdam esse observandas, seque non omnino iis esse obnoxium; alii esse adiaphoron quoddam.

πορευθείς] noli jungere cum εἰς τὴν θάλασσαν, ut Kunoel. al.

εὑρήσεις στατῆρα] στατήρ argenteus valebat quatuor drachmas Atticas vel duas Alexandrinas vel siclum Judaicum, dimidium imperialem. Sufficiebat igitur pro utroque, Jesu et Petro.

Duplex miraculum hl. innuitur; alterum, quod piscis staterem non in ventre, sed ore habet; alterum, quod Jesus rem fortuitam praedicit. Quamquam verum est, quod Wetstenius refert, inventos esse annulos uniones aliasque res pretiosas in ventriculis piscium, tamen contortae sunt Stolzii, Schotti et Pauli interpretationes, quorum ultimo loco dictus haec habet: *Und wenn du ihm das Maul geöffnet d. h. ihn vom Angel gelöst hast, so wirst du alsdann leicht den nöthigen Stater dir verschaffen können, indem du ihn zu baar Geld machst.* Alius ex Pauli sententia ingeniosiorem etiam interpretationem expiscatus est hanc: *Du darfst alsdann nur den Mund aufthun, um die Fische oder den Fisch feil zu bieten, so wirst du einen Stater dafür bekommen* (καὶ ἀνοίξας τὸ στόμα ἀνθ' εὑρήσεις s. ἀνθευρήσεις στατῆρα). Refutavit hanc interpretationem jam dudum Storrius in l. Flatti Magazin *f. cf. Dogmat. und Moral* fasc. 2. p. 66 sq. 1797.

Pauli conjecturae jam hoc repugnat, quod Capharnaumi ejus-

modi piscis haud facile tanti vendi poterat (circiter 16 gross.). — At huic miraculo plura obstant: 1) Christo indignum esse videtur sive potentiae sive scientiae miraculum fuisse credas, partim, quia Christus a miraculis in suum commodum edendis abhorrebat, partim quia alio modo hanc pecuniam sibi comparare poterat; 2) impossibile erat, quia pisces ejusmodi res non in ore, sed in ventriculo gerere solent; 3) non legitur, Petrum revera staterem in ore piscis deprehendisse.

Cap. XVIII.

Jesus verba facit ad Apostolos de fuga ambitionis ac superbiae, de studio modestiae ac simplicitatis 1—5.; ne aliis ansam praebeas ad peccandum 6—10.; de animo demisso, placabili et clementi 11—20.; de rege rationes reposcente 21—35.

vs. 1. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ] videtur praeferenda lectioni ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, quia, ut monet Fritzschius, Matthaeus rerum gestarum memoriam in arctissimum tempus concludere solet.

μείζων] non i. q. μέγιστος (ut Luth., Grot., Kunoel. al.) sed major, up. aliis. Non male Chrysost., Wetst., Kunoel. al. putant, hanc quaestionem motam esse, quia Jesus Petro, Johanni et Jacobo plus quam par erat favere videbatur. cf. 16, 18. 17, 1.

vs. 2. παιδίον] mirum est, Boltenium intelligere puerum, sectatorem Christi, qui ei ministraret.

vs. 3. ὡς τὰ παιδία] pueri a modestia laudantur.

vs. 4. ὁ μείζων] alii: major ille, de quo quaeritis; alii (ut Fritzsch.): qui se tam modestum gesserit, quam hic puerulus, hic est reliquis in Messiae regno major.

vs. 5. παιδίον τοιοῦτον ἓν] alii (Paul.): puerum parentibus orbum;

alii (Grot., Kunoel.), talem quendam puerum i. e. hominem modestia puero similem;

alii: ejusmodi puerum (de Wett.).

ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου] i. e. meae disciplinae addictus.

δέχεσθαι] alii non: beneficiis ornare, sed: domum recipere, ut eum edoceas ac educas.

vs. 6. οἱ μικροὶ οὗτοι] alii (Paul., Thiess.): liberi, natu minores.

alii (Bez.): qui modeste de se statuunt;

alii (Grot.), humili loco constituti.

Miro modo Kunoelius: „haec (vs. 6.) verba, inquit, respiciunt Johannis narrationem de homine qui *ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ* daemonia expulerat. *Μικρός* significat eum, qui apostolis videbatur infimum inter cultores Christi locum obtinere, qui non esset ex apostolorum et 70 discipulorum numero, qualis ille Judaeus exorcista erat, qui ne ad numerum quidem sectatorum Christi pertinuisse videtur, attamen Jesum pro Messia habebat, atque adeo vere dici poterat *εἷς τῶν μικρῶν τῶν πιστευόντων εἰς τὸν Χριστόν*, infimus sectatorum Christi et ab apostolis contemtus, qui hoc modo facile a causa Christi abalienari poterat."

Aliis discipuli. cfr. 10, 42. (Fritzsch.).

συμφέρει αὐτῷ] perperam alii (v. c. Grot, Kunoel.) i. q. *συμφέρει ἂν αὐτῷ μᾶλλον*; hl. simpliciter: conducit, expedit ei, ut in altum mare projiciatur, ne vivens hominibus noceat. Inest attractio; pr. conducit ei, lapidem asinarium collo ejus suspendi, ut submergatur in altum.

μύλος ὀνικός] (male Erasmus: lapis molae inferior,) lapis, non hominum sed asinorum opera versatus i. e. ingens, improbum saxum.

τὸ πέλαγος τῆς θαλάσσης] i. e mare alto.

καταποντισθῇ] alii (Hieron.), *καταποντισμόν*, quem Phoeniciis, Graecis, Syris, Romanis aliisque usitatum fuisse constat, etiam apud Judaeos locum habuisse ponunt quidem, sed non probant. cfr. Wineri Realw. p. 406. 464.

Alii (Wetst., Casaub., Schleusn.), Jesum morem peregrinorum respexisse censent.

Alii (Fritzsch.), Jesum ipsum hoc supplicii genus excogitasse s. reperisse, quo nocentissimi homines plecterentur.

vs. 7. *ἀπὸ τῶν σκανδάλων*] i. e. propter offensiones (pr. miseria ab offensionibus profecta), quae ibi sunt.

ἀνάγκη γάρ] nam i. e. jure quodam contendi, mundum (homines a pietate chr. alienos) esse deplorandum, etenim necesse est (np. ob nimiam hominum perversitatem) etc.

τὸ σκάνδαλον] intell. certum quoddam irritamentum ap peccandum.

vs. 8. *καλόν σοι ἐστὶν εἰςελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν ἢ κυλλόν* etc. et v. 9. *καλόν σοι ἐστὶ μονόφθ.* — — — *ἢ δύο* etc. duplici modo expediri possunt: aut sic, ut statuas, auctorem celeritate cogitandi dicendique abreptum rem distincte proferre esse oblitum h. m. *καλόν σοι ἐστὶν εἰςελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν* (*καὶ κάλλιον*) *ἢ* etc.: aut ut *ἢ* interrogandi vim

vs. 20. εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα] i. e. mei legati, discipuli.

εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν] numine meo iis adero (de Wettius: *Christus ist hier s. geistige Persönlichkeit, der von ihm ausgegangene Geist.*). Piorum hominum preces ac meditationes ex sententia Judaeorum et Christi multum apud Deum valent. Pirke Abot. 3, 1. Duo quum assident et colloquia habent de lege, numen (שכינה) quiescit super eos sec. Malach. 3, 16. Coran. Sura 58. Deus novit quod est in coelis et terra; non enim sunt in conventu tres, nisi sit ille quartus; neque quinque, nisi sit ille sextus; et sive pauci sive multi sint, Deus cum iis est. cfr. Schoettgen., Westen. ad h. l.

vs. 21. ἕως ἑπτάκις;] Judaeorum doctores ter veniam dandam esse alteri docebant, quater modum excedere. cf. 15—17. hl. videtur numerus sanctus i. e. septenarius Petro obversatus esse.

vs. 22. ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτά] alii septuagies septem vitia; alii ἑπτά pro ἑπτάκις, septies collocatum fingunt; alii, sic ut numerus septenarius septuagies duplicetur. hl. quam saepissime.

vs. 23. διὰ τοῦτο] quia nunquam non alteri ignoscendum est.

μετὰ τῶν δούλων] hl. non servi, sed ministri, fiscui vel reditibus praepositi.

vs. 24. μυρίων] alii proprie: alii improprie (pro multis, sic hl.) accipiunt.

ταλάντων] non Attica, sed Hebraica, unum valebat 1500 thaleros, igitur totum quindecies millies millia thalerorum, 15 *Millionen* vid. Eisenmengerus de ponderibus et mensuris vett. p. 52. p. 158.

vs. 25. ἀποδοθῆναι] alii debitum; alii pecuniam e bonorum sectione comparatam.

Lex erat apud Hebraeos, ut qui solvendo non essent, cum uxore, liberis per sex annos (2 Regg. 4, 1. Amos 8, 6. Levit. 25, 39 sqq.) in servitutem redigerentur eorumque bona publicarentur. Idem etiam apud alias gentes factum est. Justin. 8, 1. Gellius, N. A. 20, 1.

vs. 27. ἀπέλυσεν αὐτόν] libertate donavit.

vs. 28. ἐξελθών] sc. e regia domo.

ἑκατὸν δηνάρια] denarius, nummus Romanorum argenteus, valebat tres quatuorve grossos; igitur hl. duodecim circiter thaleri duodecimque grossi.

αὐτὸν ἔπνιγε] obtorto collo in jus traxit. vid. Wetsten. ad h. l.

εἴ τι ὀφ.] miro modo Paulus: *wenn du irgend im Rückstande bist. Es klingt noch grausamer, dass er so hart fordert, ohne durch Abrechnung gewiss zu seyn, ob jener herauszubezahlen habe.* hl. quidquid.

vs. 30. οὐκ ἤθελεν] recte Kunoel.: μακροθυμεῖν ἐπ' αὐτῷ.

vs. 31. ἰδόντες — τὰ γινόμενα] h. lect. tuitus est Fritzsch. pro γενόμενα.

ἐλυπήθησαν] alii: indignati sunt: alii (recte!): moerore affecti sunt.

vs. 34. τ. βασανισταῖς] hl. non videntur esse tortores, sed custodes carceris.

vs. 35. ἀπὸ τῶν καρδιῶν ὑμῶν] i. e. ex animi sententia, ἐκ ψυχῆς. Ephes. 6, 6.

Alii post ὑμῶν legunt τὰ παραπτώματα αὐτῶν, ut Fritzsch. qui ea plane necessaria statuit, ut de fine parabolae constet; alii, ut Griesbachius, omittunt. Nobis ad perspicuitatem valere videntur, necessaria non ducimus. Nexus certe ea non efflagitat.

Wesselii Scholtenii diatribe de parabolis J. Chr. Delphis Batav. 1825. p. 294.

In parabolarum expositione videndum ne in fidei seu doctrinae ss. ll. explicatae ac fide percipiendae analogiam impingatur. Male igitur faciunt isti interpretes, qui ex eo quod in aliqua Jesu parabola doctrinam desiderent, quam cum praecipuo ejus consilio in hac parabola proponenda arcte junctam esse putent: si quidem haec doctrina alibi in ss. ll. doceatur, statim concludant nec alibi eam in ss. ll. doceri, imo ad veram evangelii doctrinam haud esse referendam. Sic inde quod in illa filii prodigi parabola nulla expiationis patris offensi fit mentio, filius contra prodigus fidenti animo absque ullius intercessione hominis ad patrem accedit, cum poenitentiae verae ac desiderii ad meliorem frugem redeundi testificatione, conjecit Tellerus, doctrinam redemtionis nostrae per intercessionem perpessionum et mortis J. Chr. non referendam esse ad ea placita, quae proprie docuit Servator, sed ad ea potius, in quibus ipse ejusque Apostoli sapienter sese accommodaverint praejudicatis Judaeorum opinionibus. Idem conjicere illis liceret e nostra parabola (quidni?). Ibi enim dominus remittit ministri sui debita absque ulla expiatione aut alterius qui pro eo solvat intercessione; et quidem sola motus ejus promissione, operam se daturum pecuniae debitae in posterum solvendae. Nec etiam in eo quod servator vs. 35. addit, aliquid reperitur, quod de peccatorum expiatione cogitare eos jubeat. At non fuit

Servatoris nostri consilium hac quidem parabola doctrinam redemtionis inculcandi, sed excitare per eam discipulos voluit ad animum ad quascunque injurias contumeliasque condonandas pronum, addita ratione, quod Deus summe clementissimus non iis quoque condonaturus sit peccata, nisi ad ejus veluti exemplar sese composuerint.

Cap. XIX.

Jesus Pharisaeis respondet de repudio et conjugio 1—12.; infantibus bene precatur 13—15.; post colloquium cum juvene divite de periculis divitiarum exponit 16—26.; suis amplissima promittit praemia 27—30.

vs. 1. *ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας*] Kunoelius pro ὅρια τῆς Ἰουδαίας τῆς πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Contra leges grammaticas.

Alii (ut Fritzsch.): movit a Galilaea trans Jordanem pro: movens a Galilaea transiit Jordanem. Caeterum poterat Jesus breviorem viam per Samariam ingredi.

vs. 2. *ἐκεῖ*] i. e. in agro Judaico.

vs. 3. *ἀνθρώπῳ*] alii i. q. τὶς; alii i. q. ἀνήρ.

κατὰ πᾶσαν αἰτίαν] De placitis scholae Hillelis et Sameae cfr. 5, 32.

vs. 4. *οὐκ ἀνέγνωτε*] Genes. 1, 27.

ὁ ποιήσας] alii: rerum universitatis auctor; alii (recte), auctor hominum.

ἀπ᾽ ἀρχῆς] hl. qui jam ab initio societate eos conjunxit.

vs. 5. *καὶ εἶπεν*] vid. Gen. 2, 21.

ἕνεκεν τούτου] quia Deus marem ac feminam intime conjunxit. Fritzsch.

οἱ δύο] sc. ὄντες i. e. qui duo fuerunt in unum coalescent. Bez.

vs. 7. *ἐνετείλατο*] Deut. 24, 1.

vs. 8. *πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν*] pr. ad vestram animi duritiem s. pervicaciam respiciens i. e. propter.

Libellus repudii, quoniam pauci admodum artem scribendi callebant, a scriba conficiebatur, cui etiam datum erat negotium, ut discordiam tollere animosque abalienatos sibi reconciliare studeret.

vs. 9. *μὴ ἐπὶ πορνείᾳ*] haec et similia vocabula de justa divortii caussa delenda censuit Hugius (de conjugii christ.

vinculo indissolubili. Friburg. 1816.), dogmaticis potissimum caussis ductus. cf. 5, 32.

vs. 10. ἡ αἰτία] plerisque est conditio (Grotius: si ea est mariti conditio, sc. ut uxorem pro arbitrio dimittere ei fas non sit, satius esset abstinere a nuptiis, quam se induere in malum inextricabile. Incommoda mulierum ingenia multos a matrimonio deterrent.); aliis crimen; aliis negotium, aliis caussa s. res h. m. si caussa mariti cum uxore sic sese habet i. e. si hac ratione cum uxore versari cogatur. Fritzschius.

vs. 11. οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον] alii: non omnes intelligunt; alii: non omnes capiunt hanc vocem s. rem (op. οὐ γαμεῖν) quasi locum dant apud animum suum i. e. huic rei pares sunt; alii τὸν λόγον τοῦτον ref. ad sequentia h. m. quae dicturus sum (Bengel., de Wett.).

vs. 12. εἰσὶ γὰρ εὐνοῦχοι κτλ.] sunt enim spadones (qui apud Orientales cubiculo praefici solebant, teste Aelian. V. H. 2, 17. 6, 18. Polyb. 13, 17. 1. Xen. Cyr. 7, 5. 60.) i. e. caelibes, quos aut natura aut hominum malignitas aut spes regni Messiani a matrimonio avocat. cf. Fischeri Prolusiones p. 490.

διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν] alii, qui animum in calamitatibus ob sacra christ. subeundis imperterritum ac constantem haberent; hl. videtur Christus apostolos suos respexisse, qui maximam partem, ut sacra christiana propagarent, a matrimonio abstinuerunt.

ὁ δυνάμενος χωρεῖν, χωρείτω] qui viribus suis sustinere potest, sustineat (Fritzsch.) alii, i. q. ὁ ἔχων οὖς ἀκουέτω.

vs. 13. ἵνα τὰς χεῖρας ἐπιθῇ αὐτοῖς] faustas piorum hominum, prophetarum inprimis, apprecationes multum prodesse credebant Hebraei vid. Gen. 48, 14. Num. 22, 6. Luc. 2, 28. Manus imponi solebant Gen. 18, 14. Matth. 9, 18. Marc. 16, 18. Act. 6, 6. 8, 17. Buxtorf. synag. Jud. p. 138.

ἐπετίμησαν αὐτοῖς] sc. τοῖς προςφέρουσι, np. aegre ferentes hanc intempestivam interpellationem.

vs. 14. τῶν γὰρ τοιούτων] qui eadem modestia sunt 18, 3.; alii ipsos infantes intelligunt; alii et infantes et homines eadem indole.

vs. 15. ἐκεῖθεν] alii: ex oppido Peraeae; alii: ex illo nescio quo loco Judaeae in alium quendam (Paul., Fritzsch.).

vs. 16. διδάσκαλε ἀγαθέ] haec lectio unice vera est; nam ἀγαθέ necessario requirit sequens; τί με λέγεις ἀγαθόν. Sic etiam Knapp., Fritzsch. al.

τί ἀγαθὸν ποιήσω] fallitur Kuinoelius, qui interpr. „quod praecipui boni faciendum est, opinans hominem respexisse distinctionem praeceptorum graviorum ac leviorum doctoribus Judaicis usitatam. de Wettius: quid boni faciam? nam non omnia, quae bona dicuntur (v. c. decimas solvere) ad vitam beatam perducunt. Quanam in re summum bonum cernitur? hl. quid, quod bonum sit, faciam. Fritzsch. al.

vs. 18. ποίας] alii i. q. τίνας: alii (recte): quales?

τί με ἐρωτᾷς κτλ.] alii, omisso ἀγαθέ h. m. *warum legst du mir die unergründliche Frage vor: über das höchste Gut? Einer ist der Gute: nur in Gott wohnt die Fülle des wahren Guten und Menschen können es nicht ergründen.*

οὐ φονεύσεις κτλ.] cfr. Exod. 20, 12 sq. Deut. 5, 17 sq.

vs. 20. ἐφυλαξάμην] (alii leg.: ἐφύλαξα) mihi servavi.

vs. 21. δὸς πτωχοῖς] sc. pecuniam ex opibus divenditis redactam.

vs. 23. εἰςελεύσεται εἰς τὴν βασιλ. τ. οὐρ.] alii coetum discipulorum Christi; alii (recte!) regnum Messianum intell.

vs. 24. κάμηλον] alii proverbialem dictionem et hyperbolicam non capientes conjecerunt κάμιλον esse i. q. rudentem; alii de camelo accipiunt. Sic Talmudici scriptores utuntur formula: פִּילָא דְעָיֵיל דְקוּפָא דְמַחְטָא, elephantus intrans foramen acus. vid. Lightf., Schoettg., Buxtorf. Lex. Talm. p. 1722.

παρὰ ἀνθρώποις] alii, hominum judicio; alii, viribus humanis impossibile est.

vs. 26. ἀδύνατον] cf. v. 23. δυςκόλως.

vs. 27. ἀφήκαμεν πάντα] alii, strictissimo sensu capiunt; alii apostolos nomen suum apud Christum jam professos, interdum ad negotia sua tractanda vs. 27. rediisse arbitrantur cfr. Wineri *Reall.*

τί ἄρα ἔσται ἡμῖν] Paulus (p. 820.): *wie wird es daher mit uns seyn? d. h. haben wir dadurch gethan, was du verlangst, oder ist uns noch etwas anderes zu leisten.*

Alii recte: quid tandem commodi inde ad nos redundet?

vs. 28. ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ] (quod non cum ἀκολουθήσαντές μοι, sed cum καθίσεσθε copulandum est,)

Alii Christi resurrectionem intell. (cfr. Wolfius et Koecherus.). Simili modo Grotius, qui indicari putat ipsum regnum Messiae inaugurandum post resurrectionem Christi. 2 Cor. 5, 57. At tunc dicendum erat: ἐν τῇ παλιγγ. μου.

Alii mortuorum resurrectionem, quae ex opinione Judaeorum futura erat tempore Messiae. cfr. Lightf. ad h. l. Fritzsch., qui addit: pollicetur Jesus, fore, ut, quo tempore mortui vitam receperint, quando ipse splendidam judicis sellam occupaverit, discipuli quoque per duodecim sellas sedeant sub Messiae, summi judicis, auspiciis de duodecim tribubus judicaturi. cfr. 1 Cor. 6, 2 sqq.

Alii de morum mutatione in melius, ut Fisch., Proluss. p. 478. Eckerm., *theol. Beiträge* vol. 3. fasc. 1. p. 191.

Alii, ut Kuinoel., intell. tempus, quo apostoli virtutum suarum et calamitatum ob Christi doctrinam perpessarum praemia luculentissima et amplissima reportaturi sint solemni inauguratione regni Messiani, h. e. felicitate in altera vita exspectanda.

Alii (Schott., Wahl., Bertholdt. Chrystol. p. 214.) de omnium rerum, primorum hominum peccato corruptarum, mutatione in melius. Nova, inquit Bertholdtus, rerum facies conspicua erit in eo, „ut omnia, quae in rerum universitate continentur, inprimis autem hominum natura et conditio, in eum statum atque indolem longe praestantissimam refingantur, qua ante protoplastorum lapsum sparsamque ac disseminatam in omnes res creatas ejus luem excelluerant."

Alii (de Wett.), conjecerunt, Matthaeum fortasse voc. *παλιγγ.* latiori sensu accepisse, ita ut omnes mutationes, a Messia profectas, fortasse ipsam resurrectionem complectetur. (Quae interpr. haud multum recedit ab Schotti.)

Paulus (ad h. l.) verba sic interpungit: *ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὑμεῖς οἱ ἀκολουθήσαντές μοι, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ. Ὅταν καθίσῃ κτλ.* h. m. explicat: *Nein, antwortet Jesus, ich bin mit euch zufrieden. Ihr seyd in der wahren Umschaffung, im Zustande der Neugebornen, die vom irdischen für das geistige umgeformt sind. Ihr seyd* a) *ἄνωθεν γεγεννημένοι;* b) *ihr sollt aber überdies dabey auch nichts von Glück verloren haben.* — Aut Fritzschii aut Schotti interpretatio hl. praeferenda est.

ἐπὶ δώδεκα θρόνους] i. e. per duodecim thronos, de duodecim Israelitarum tribubus judicantes (non: imperantes, ut Kuinoel. al.).

vs. 29. *ἑκατονταπλασίονα*] centuplicia i. e. et longe plura percipiet bona, quam quorum jacturam fecit ob constantiam in religione mea profitenda, et vita potietur beata.

Olshaus. „*Die Hingabe des Eigenen an das Allgemeine*

ist nur ein Wiederbekommen des Ganzèn für das Einzelne. 1 Cor. 3, 21 sqq.

alii (Theophyl., Erasm.) quia in societate chr. alii alios fraterno ducti amore adjuvant.

alii epexegesin in vocc. *καὶ ζωὴν αἰώνιον* statuentes h. m. centuplicia capiet, up. vitam beatam.

vs. 30. *πολλοί κτλ.*] non: quo tempore, sed: quo animo Messiam secutus sit quaerendum est.

alii, ut Fritzsch.: *πολλοὶ δὲ ἔσχατοι ἔσονται πρῶτοι;*

alii, ut de Wett., multi, qui magna sibi expetunt praemia (*πρῶτοι*), exigua percipient (*ἔσχατοι*).

Cap. XX.

Parabola de operariis in vinea 1—16.; vaticinium de morte Jesu et resurrectione 17—19.; de precibus Zebedaeorum 10—28.; de duobus caecis ad Hierichunt. sanatis 29—34.

vs. 1. *εἰς τὸν ἀμπελῶνα*] alii: quos mitteret in vineam; alii, in usum, commodum vineae. Hoc Grotio, Fritzschio, illud aliis praeferendum videtur.

vs. 2. *συμφωνήσας — τὴν ἡμέραν*] alii subint. *εἰς*, in diem; alii *κατά* (id esset: in singulos dies); alii: pactus cum operis diem.

ἐκ δηναρίου] haec erat diurna merces. Tob. 5, 14. Tacit. Annall. 1, 17.

vs. 3. *περὶ τρίτην ὥραν*] Notissimum est, Judaeos diem in duodenas sibi aequales partes descripsisse, ab hora sexta matutina usque ad sextam pomeridianam. Igitur hl. hora nona.

ἐν τῇ ἀγορᾷ] in foro, ubi non solum res venales exponebantur, conciones et judicia habebantur, sed etiam versabantur qui aliis operam suam locabant.

vs. 4. *κἀκείνοις*] i. e. illis quoque; non, *καὶ ἐκείνοις*, id esset: atque illis.

vs. 6. Post *ἑστῶτας*, *ἀργούς*, quod haud pauci omittunt, necessarium est ob sq. *τί ὧδε ἑστήκατε — ἀργοί* (Fritzsch.).

vs. 7. *ὅτι* ante *οὐδείς*, Fritzschius delendum censet et revera commode abesse potest.

vs. 8. *τῷ ἐπιτρόπῳ*] i. e. *οἰκονόμῳ*, villico, procuratori, אֲשֶׁר עַל־בַּיִת.

ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἕως τῶν πρώτων]

Alii: exorsus ab ultimis usque dum venisti (subint. καὶ ἐλθών s. ἐρχόμενος) ad primos. Knpk., de Wett.

Alii: da iis mercedem, de qua convenit, usque ad primos procedens, initio facto ab ultimis, i. e. ad unum omnibus. (Fritzsch.).

vs. 10. πλείονα] alii rectius πλεῖον leg. plus pecuniae, quam quae denarii aestimabatur. Fritzsch.

vs. 12. μίαν ὥραν ἐποίησαν] alii conjecerunt ἐπόνησαν.

Alii interpr. unam horam confecerunt s. transegerunt in vinea, ut Casaubonus.

Alii unam horam i. e. per unam horam fecerunt, sp. ἔργον = laborarunt, ut Kunoel.

τὸ βάρος τῆς ἡμέρας καὶ τὸν καύσωνα] Alii, diei molestiam, sp. aestum solis; alii rectius: diei onus i. e. laborem ac aestum solis, qui in Oriente admodum vehemens est.

vs. 13. ἑταῖρε] hl. est exprobrantis irridentisque.

vs. 15. ἐν τοῖς ἐμοῖς] Alii, ut Lutherus: *mit dem Meinen;* alii: annon mihi licet meis facultatibus pro lubitu uti? Kunoel.; alii recte: in meis rebus — *in meinen Angelegenheiten.* Erasmus, Fritzschius.

πονηρός] i. e. avidus, quia oculus index est affectionum animi, רַע עַיִן.

ἀγαθός] hl. liberalis.

vs. 16. οὕτως sc. sic agetur etiam cum iis, qui in meam disciplinam sese tradiderunt.

Alii totam hanc parabolam sic interpretantur, ut patremfamilias Deum, procuratorem Christum, operarios Apostolos, vineam ecclesiam, quinque horas quinque hominum aetates esse censeant.

Alii doceri hac parabola, Deum rerum externarum rationem non habiturum esse in hominibus praemiis ornandis.

Alii, in re christiana strenue esse agendum; nihil enim profuturum cursoribus (i. e. apostolis) alacriter coepisse, si in medio stadio deficiant. 1 Cor. 9, 24. Phil. 3, 13. Calvinus.

Alii in beatitudine regni coelestis percipienda omnia pendere a benignitate div. s. arbitrio divino. Sic Melanchthon.

Alii, veram salutem s. beatitudinem pendere non a tempore quo, sed quo animo Messiam secutus sis.

cfr. Fritzschius, (Pat. Ven.) in Tzschirneri Memorabilibus, t. 5. f. 1. p. 65 sq.

ἐκλεκτοί] alii: indole sua eximii; alii: qui gratia div. ad vitam beatam vocati sunt (ἐκλογή).

vs. 17. κατ' ἰδίαν] seorsim a magna hominum, qui eum sequebantur, turba.

Quo propius Christus ad mortem subeundam accessit, eo clarius discipulis suis fatum sapienter exposuit. cfr. 16, 21. 17, 22.

vs. 18. κατακρινοῦσιν αὐτὸν θανάτῳ] i. e. condemnabunt eum morti i. e. ita ut mortem subire cogatur.

vs. 20. τότε] i. e. ἐν τῇ ὁδῷ.

ἡ μήτηρ τ. υ. Ζ.] Salome (Marc. 15, 40. 16, 1.), mater Johannis et Jacobi erat ex iis mulieribus, quae Jesum in itineribus suis comitabantur. Verum esse videtur, quod Seneca ad Helv. 14. dixit: viderint illae matres — quae quia feminis honores non licet gerere, per illos ambitiosae sunt.

αἰτοῦσά τι] alii magni quid; alii, ut Grotius, τί, ipsam petitionis praefationem indicari censent. Solent enim qui aliquid sunt postulaturi praefari, non multa a se, sed unam rem peti, ne inverecundi videantur.

vs. 21. ἵνα καθίσωσιν] 19, 28. ut secundum (a dextra) et tertium (a sinistra) locum in regno Messiano occuparent i. e. proximos Messiae honores.

vs 22. εἶπεν] sc. ad fratres. Igitur terrestria sperasse videntur emolumenta.

οὐκ οἴδατε, τί αἰτεῖσθε] Alii: nescitis rationes regni Messiani, a quo omnis splendor alienus est.

Alii: nescitis, asseclas meos non nisi maximis, quas subire debent, perpessis calamitatibus vero in regno Messiano honore potiri posse.

Jesus meliora ac sublimiora docendo perversas hominum opiniones refutat.

τὸ ποτήριον] imago Hebraeis usitatissima cf. Ps. 60, 5. 75, 9. Jes. 51, 17. 22. Thren. 4, 21. Joh. 18, 11. hl. num potestis eandem, quam ego subiturus sum, fortunam subire (i. e. supplicium)?

Verba καὶ vel ἢ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι, quae eundem sensum fundunt, atque e Marc. 10, 39. huc translata sunt, praestantissimi Critici expungunt.

vs. 23. τὸ μὲν ποτήριόν μου πίεσθε]
Alii, ut Fritzsch., censent, Jesum haec dixisse, ne diutius insisteret argumento quod tempus tantum posset aut corroborare aut informare.

Alii, Jesum violentam mortem, qua duo illi apostoli perierint, vaticinatum esse.

Alii, etiamsi non mortem violentam, tamen maximas suis calamitates perferendas esse, Jesum his verbis significasse.
οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι] Alii (ut Bengel.): non licet mihi dare, sp. ante supplicium.

Alii (ut Elsn.): non licet mihi dare, sp. hominibus temerariis calamitatibusque nondum satis probatis.

Alii (de Wett.), Jesum de se tanquam homine, non ut de Messia, verba fecisse opinantur. Alio modo res sese habebit, quum Jesus morte superata in regno suo imperium exercet.

Alii: non a me pendet, sed a vobismet ipsis. Schmidtius in l. *Bibl. f. Krit. u. Exegese* vol. 3. p. 179. Eodem modo Paulus: *Hier erhebt sich jeder selbst.*

Alii: non est mei officii, ut Kypk.

Alii: non est meae potestatis; nam Messias omnia sub auspiciis Dei O. M. agit possidetque. Sic hl.

NB. Grotius: hunc honorem ait a se non aliis datum quam quibus (ἀλλά i. q. εἰ μή) a patre is esset destinatus; ideo autem divinae destinationis injicitur mentio, ne putaretur haec res esse humano ambitu impetrabilis.

vs. 25. κατακυριεύουσιν καὶ κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν] (sp. τῶν ἐθνῶν, non, ut alii, τῶν ἀρχόντων) alii: imperium exercent; alii: imperium exercent adversus i. e. cum detrimento, damno. Sic jam Erasmus.

vs. 26. οὐχ οὕτως δέ] sic recte legit Fritzsch.

μέγας] alii: maximus; alii (recte): excellens. Cic. de off. 1, 26. Quanto superiores sumus, tanto nos geramus submissius.

vs. 28. ἀντὶ πολλῶν] loco multorum i. e. quibus mors subeunda fuisset, si Christus vitam non sponte sua profudisset. Morte Christi homines ad veram salutem pertingunt. De morte Christi expiatoria vid. de Wettius.

vs. 29. Ἱεριχώ] (יְרִיחוֹ, a רֵיחַ, a balsami fragrantia atque odore) urbs in tribu Benjaminitica trans Jordanem ab Hierosolymis 150 stadiis distans, agrum habebat fertilem, palmis (πόλις φοινίκων), rosis et balsami viridariis abundantem

12

fontibusque irriguum. Devastata per Josuam non solum restituta est, sed etiam scholas propheticas habuit (Jes. 6, 27. 1 Reg. 16, 14. 2 Reg. 2, 4. 5.) et ob balsami in peregrinas terras exportationem etiam τελώνας et ἀρχιτελώνην (Matth. 20, 29. Marc. 10, 46.).

vs. 30. δύο τυφλοί] Marcus tantummodo unum, Bartimaeum commemorat. Hinc alii caecum unum cum duce suo hl. intell.; alii statuerunt, Jesum urbem intrantem sanasse alterum, alterum autem urbe exeuntem.

vs. 31. ἐπετίμησεν] alii, ut Thiessius, silentium imperatum esse caecis, quia aegre ferebat illa hominum multitudo, Jesum nimis honorifico Messiae titulo ornatum esse;

alii, ne fama ad aures Pharisaeorum perveniret, Jesum publice Messiam esse salutatum;

alii, quia credidissent, caecos illos stipem erogare velle;

alii, quia aegre ferebant, Jesum in docendo interpellari (Grot., Kunoel., Fritzsch.);

alii, id non esse quaerendum, quum Matthaeus ipse rem tacuerit (de Wett.).

vs. 32. ἐφώνησεν αὐτοὺς καὶ εἶπε] alii: vocavit eos et dixit; alii (recte): compellavit eos his verbis.

Cap. XXI.

Jesus ovante populo urbem ingreditur 1—11.; templum purgat ab impiis 12—17.; ficui imprecatur diras 18—22.; captiosam adversariorum quaestionem fugit quaerendo ex iis de auctoritate baptismi Johannis 23—27.; parabolas proponit, alteram de duobus filiis in vineam missis; alteram de servis ab operariis in vinea male habitis filioque ab iisdem necato 28—44. De insidiis Jesu factis, 45. 46.

vs. 1. εἰς Ἱεροσόλυμα] np. ad festum paschatos celebrandum.

De hoc ultimo Jesu Christi in urbem capitalem introitu cfr.

Harras, *Bemerkungen über den letzten Einzug Jesu in Jerusalem* in I. Eichhornii *Allgem. Biblioth.* vol. 10. p. 189.

Paulus (ad h. l.) duplicem Christi statuit urbis aditum, priorem a Matthaeo, Marco et Luca, posteriorem a Johanne relatum. Contra hunc cfr. Thiessius in Com. ad h. l. et (Moellerus) Kritik des Comment. *v. Paulus* pag. 136 sqq. de Wettius p. 172. Hasius, L. J. §. 124.

εἰς Βηθφαγῆ] (בֵּית פַּגָּא, domus ficuum, *Feigenhausen*; alii

hl. versus Bethphagen, villam s, *κώμην* ad montem olivarum; alii, quum venisset Bethphagen.

τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν] mons, ab oriente urbi imminens, ab Hierosolymis quinque stadiis distat.

vs. 2. *εἰς τὴν κώμην*] i. e. Betphagen, quae propius aberat ab urbe, quam Bethania, quem vicum Jesus jam praeterierat.

ὄνον] orientales hoc animal neque contemnunt ac plerumque eo vehuntur. Caeterum symbolum pacis erat, ut equus belli. Alii ref. ad Genes. 44, 11.

πῶλον] animalia jugum nondum experta ad usus sacros adhibebantur. Sine dubio Christus asinam adduci jussit, ut pullus facilius sequeretur. Fritzschius censet, e Matthaei sententia utroque Jesum asino alternis vicibus vectatum esse. Rabbinici opinabantur Messiam asino centum maculis distincto, quid quod eodem quo Abrahamus (Genes. 22, 3.) et Moses (Exod. 4, 20.) usi fuerint, urbem ingressurum esse cfr. Schoettg. et Lightf. ad h. l.

vs. 3. *ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ τι*] Kuinoelius: si quis vero vos quicquam interrogaverit, nempe *τί ποιεῖτε τοῦτο;*

Alii (recte), si quis quid vobis regesserit i. q. *ἐναντιοῦσθαι.*

Alii h. in l. miraculum expiscati sunt; alii statuunt, Jesum domino asinorum fuisse satis notum ac pro sua auctoritate animalia facili negotio impetrasse.

ἀποστελεῖ αὐτούς] alii remittet (Jesus) eos.

vs. 4. *διὰ τοῦ προφήτου*] Zach. 9, 9., ubi aurea describitur aetas.

Ex mente Matthaei Jesus Hyerosolimam, filiam Zionis, asina vectus intravit, ut illud V. T. oraculum, quod Judaei de Messia interpretarentur, eventu comprobaretur.

vs. 7. *ἐπεκάθισεν* (alii leg. *ἐπεκάθισαν*) *ἐπάνω αὐτῶν*] alii ad jumenta referunt aut enallagen numeri fingentes aut *τινος* mente addentes;
alii ad *τὰ ἱμάτια.* Nam Christum asina pulloque alternis vicibus vectum Calovius, Gerhardus, Zeltnerus, Fritzschius crediderunt.

vs. 8. *ἔστρωσαν ἑαυτῶν τὰ ἱμάτια κτλ.*] ut animi gestionem reverentiamque suam testificarentur. Similia regum magnorumque virorum adventu abituque jam apud Hebraeos Orientalesque, apud Graecos et Romanos usitata erant.

Paulsen, *Regierung d. Morgenl.* p. 228.

Chardin, *Reisebesch.* t. 3. p. 103. 209.

Plutarch, Cat. Min. p. 764. C. *προεπέμφθη* (sc. Cato)

δάκρυσι καὶ περιβολαῖς ἀπλήστοις ὑποτιθέντων τὰ ἱμάτια τοῖς ποσὶν, ᾗ βαδίζοι, καὶ καταφιλούντων τὰς χεῖρας.

Curtius 5, 1. 19. Magna pars Babyloniorum in muris, avida cognoscendi novum regem (Alexandrum M.); plures obviam progressi sunt, inter quos Bagophanes totum iter floribus coronisque constraverat.

vs. 9. ὡσαννὰ τῷ υἱῷ] Ps. 118, 25. Alii, ut Lightf.: rami (הושענא) filio Davidis dicati sint.

Alii, ut Kunoel.: serva, quaeso, salutem largire filio Davidis.

Alii, ut Erasm., Grot., Fritzsch.: io triumphe Messiae. (cfr. Ps. 118, 25. 26.)

εὐλογημένος κτλ.] laudibus celebretur, qui venit auctoritate domini, i. e. Messias.

ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις] alii i. q. ὁ ὢν ἐν τοῖς ὑψίστοις ut, terque quaterque beatus;

alii: io triumphe in coelo s. inter coelicolas;

alii, ita, ut coelum quasi vocem repetat, quae in terris audiatur (de Wett.).

Hunc locum a Joh. 2, 18 sqq. alii (Chrysost., Grot., Lampr., Paul., Kunoel., Olshaus., etc.) diversum; alii (Luckius, de Wett., Strauss.) unum eundemque esse censent, sed de tempore, quo res evenerit, ambigunt.

vs. 11. ὁ προφήτης] quem nostis.

vs. 13. εἰς τὸ ἱερόν] hl. est in atrium gentium, חָנֻיוֹת, tabernas. Huc aditus patebat gentilibus et Judaeis a mortuo pollutis. Cum lucro ibi vendebantur indies sal, thus, oleum, vinum, aliaeque res ad sacrificia necessariae, columbae, agni, boves etc., victimae omnes jam lectae spectatae probatae. vid. Kunoel. ad h. l.

κολλυβιστῶν] nummulariorum, qui in eodem loco nummos in mensis expositos habebant adjuturi emtionem et venditionem pecudum vel permutaturi nummos graecos et romanos hebraicis, si quis tributum sacrum solvendum templo die vicesimo quinto mensis Adar vel, ut exteris Judaeis, solvi solitum mense Nisan festoque paschatos pendere vellet. Solebant in permutanda pecunia deductiones fieri. cfr. Kunoel. ad h. l. et Wineri bibl. Realw. s. h. v.

τὰς περιστεράς] quas pauperes, ut puerperae, offerre solebant. Levit. 5, 7. 12, 8. 14, 21.

Alii (Paul.), Zelotarum more Jesum negotiatores illos

templo ejecisse, quia lucri cupiditate alios defraudabant (Joh. 2, 16.), et pias meditationes et preces turbabant.

Alii (Kunoel., Fritzsch.), Jesum in sacra disciplina, quod exspectabant a Messia Judaei, nonnulla emendasse.

vs. 13. οἶκος προσευχῆς] Jes. 56, 7. domus precibus destinata.

σπήλαιον λῃστῶν] alii: spelunca latronum i. e. hominum, qui turpi lucri studio se duci patiuntur;

alii (Grot.), dubium non esse, quin pro usu templi partem quaestus stipulati fuerint sacerdotes;

alii: diversorium hominum, qui undequaque pecuniam, animalia al. congerere sustinent, ut latrones praedam comportant in speluncam.

vs. 14. ἐν τῷ ἱερῷ] hl. intell. atrium virorum s. Israelitarum, quod intrare paganis non licebat et proximum erat vestibulo sacerdotum. Sic haud pauci; verum res incerta est.

vs. 15. τὰ θαυμάσια] alii ad claudorum et caecorum sanationem referunt; alii et ad aegrotos sanatos et ad expulsos negotiatores;

alii denique vel solemnem Christi in urbem introitum antea dictis addunt.

vs. 16. ἀνέγνωτε] Ps. 8, 3. Secundum Fritzschium non ambiguum esse videtur, Jesum de Matthaei sententia Psalmi verbis tanquam temporis, quo Messias prodiisset, significationem continerent, usum esse. Sens. ex mente de Wettii est: non est, quod me (Jes.) hujus laudis pudeat, quippe quem Deus non aversetur.

vs. 17. ἐξῆλθεν ἔξω τῆς πόλεως] exiit urbe in Bethaniam, ut ibi pernoctaret, non sub dio, ut nonnulli v. c. Grotius, e Luc. 21. 37. collegerunt, sed in domicilio.

Cur autem in Bethaniam? Alii, quia festo paschali tanto hominum concursu rara erant in urbe hospitia (Fritzsch. al.).

Alii, ut omnem affectati regni terreni suspicionem a se amoveret. (Grot., Kunoel.).

Si voluisset Jesus, rerum potiri potuisset. Templum erat munitissimum ibique ingens pecuniarum ac frumenti vis, homines festo paschali numerosissimi rerumque novarum cupidissimi etc. cfr. Michaelis ad hl.

vs. 19. ἐπὶ τῆς ὁδοῦ] alii: secundum viam; alii: in via i. e. locis viae proximis.

ἦλθεν ἐπ' αὐτήν] alii: accessit ad eam; alii: conscendit eam, quo facto demum cognoscere potuit, eam esse sine fructibus.

Ficus in Palaestina ter fructus singulis annis ferre solet: 1) ficus praecoces, בכורים, circa finem mensis Martii adolescunt, sed maturescunt demum exeunte Junio, Jes. 28, 4. Jer. 24, 2. al. 2) alterum genus ficuum (Kermuse) mense Junii erumpere solet, sed maturescit demum Augusto: 3) ficus denique serotinae (ut h. l.), per hiemem in arbore manent ac vere inter novas frondes foliaque maturescunt. Plin. H. N. 15, 19. 16, 27. Michaelis *Anmerk.*

μηκέτι ἐκ σοῦ κτλ.] Alii (Paul.): nemo facile ficus in posterum de te decerpet! Jesum enim, quum propius accessisset, vidisse arborem pauca tantum folia emisisse ac brevi esse emorituram.

Alii (Wetst.): Jesum actione symbolica more prophetarum significare voluisse imminens Judaeorum exitium, quod pietatis fructibus carerent; vel, ut Grotius, funestum impiorum hominum exitum (cf. Luc. 13, 16 sqq.).

Alii, ut Fritzschius: Matthaeum hoc tradere voluisse, Jesum arborem nullas habere fruges indignatum, hujus rei opportunitate ad insigne edendum miraculum usum esse.

Alii, ut de Wettius: ex sententia Evangg. esse miraculum et symbolum, quo, quantum fides efficere possit, demonstretur.

Alii, hoc miraculo fidem suorum confirmare voluisse et constantiam. Heidenreichius in Waehleri Annalibus, 1814. p. 121 sqq.

vs. 21. τὸ τῆς συκῆς] alii subint. πάθος; alii θαῦμα; alii γενόμενον vel γεγονός; alii πρᾶγμα; alii περί, quae omnia superflua sunt, quemadmodum Pauli h. l. interpretatio: non modo similes eventus praevidere ac praedicere poteritis, verum etiam multo difficiliora efficere.

vs. 22. cf. 18, 19.

vs. 23. προςῆλθον αὐτῷ διδάσκοντι] Fritzschius διδάσκοντι delendum esse censet.

ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιεῖς] Alii (Grot.): quanam auctoritate in templo doces? np. synedrium magnum hanc tibi potestatem non concessit. At praeter alia jam vocula ταῦτα repugnat. Dicendum fuisset τοῦτο.

Alii ad aegrotos sanatos et negotiatores expulsos referunt; igitur quaecunque in templo egerat.

vs. 25. τὸ βάπτισμα (τό ut Fritzschius legi vult) Ἰωάννου] haud pauci non tam baptismum, quam doctrinam Johannis intell.; alii non nisi baptismum.

πόθεν ἦν] i. e. qua auctoritate; divina an humana?

vs. 26. φοβούμεθα τὸν ὄχλον] metuimus nobis a populo.

vs. 30. pro τῷ ἑτέρῳ cum Matthaeio legendum est τῷ δευτέρῳ. Veteres sub filio obedienti Gentiles, sub immorigero Judaeos intellexerunt. Alii rectius sub illo portitores, scorta; sub hoc Judaeos, qui sibi placent.

ἐγώ] alii suppl. σήμερον ἐργάζομαι ἐν τῷ ἀμπελῶνι; alii ὑπάγω; alii θέλω etc. hl. sane, Domine, obsequar tibi (Fritzsch.).

Caeterum filius hic imago est principum Judaeorum, qui vultu pietatem profitebantur, revera homines superbi, invidi, crudeles (Grot.).

vs. 32. ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης] alii: Johannes veram vobis doctrinam tradidit;

alii: viam pietatis ingressus i. e. vir probus.

τοῦ πιστεῦσαι αὐτῷ] alii ad ὕστερον ref. h. m. non rediistis ad meliorem frugem postea, quum portitores ac meretrices fidem habuissent;

alii: non resipuistis, quoniam fidem habuissent portitores ac meretrices i. e. fide eorum permoti.

vs. 33. ὤρυξεν ληνόν] etiamnum apud Orientales inveniuntur torcularia subterranea; vid.

Harmarus, *Betrachtungen üb. d. Orient*, t. 3. p. 117. Winerus, *Realw.* s. h. v. Sepimentum valebat ad feras arcendas, turris ad custodiendas fruges, lacus ad uvas exprimendas; ig. vinea omnibus rebus erat instructa.

ἐξέδοτο αὐτὸν γεωργοῖς] alii ita, ut nummum acciperet (v. c. Paulus);

alii, ut partem frugum (de Wett., Kunoel.);

alii, ut Fritzschius, utrumque incertum statuentes nil nisi hoc inesse, rusticis vineam eum commisisse, quia peregre vitam degeret.

vs. 38. εἶπον ἐν ἑαυτοῖς] alii: secum cogitabant; alii: cohortati sunt inter se; hl. dixerunt inter se.

vs. 39. ἐξέβαλον — καὶ ἀπέκτειναν] alii haerent, utrum in vinea an extra vineam filium necaverint.

alii, ut antiquorum haud pauci et Paulus (ad h. l.), respici hic Christum supplicium extra urbem passum.

vs. 41. ἐν τοῖς καιροῖς αὐτῶν] sc. καρπῶν i. e. quo tempore fruges ad maturitatem pervenerunt; alii ad οἵτινες ref.

Adventum domini et poenas vinitorum ad Hierosolymorum destructionem et (secundum Matth.) ad παρουσίαν Christi commode referri posse censet de Wettius.

vs. 42. λίθον ὃν] per attractionem, ut saepissime apud Graecos. cfr. Ps. 118, 22.

εἰς κεφαλὴν γωνίας] i. e. lapis angularis, qui parietes atque aedificium continet. Sens. h. l. homo contemtus ad magnam dignitatem evectus est (de Wett.).

παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη] alii (Kunoel. de Wett.) more Hebraeorum (זֹאת) pro τοῦτο et θαυμαστόν;

alii (Rosenm.) ref. ad κεφαλή.

alii ref ad γωνία.

Sensus est aut: id volente Deo factum est et e nostra mente mirabile accidit; aut: moderante Deo lapis ab architectis repudiatus anguli caput exstitit, atque nos hoc caput admiramur.

Totam hanc parabolam permulti sic interpretati sunt, ut sub vinea coetum Judaeorum, sub sepimento legem mosaicam, sub torculari altare, sub turri templum, sub agricolis sacerdotes populique seniores, quibus videndum erat ne respublica detrimenti quid caperet, aut omnino theocratiam Judaeorum omnibus rebus satis superque ad vitam beatam exstructam, sub frugibus probitatem, sub servis prophetas male habitos, et sub filio Messiam intelligerent.

Simili modo de Wettius sub vinitoribus superiores civitatis Judaicae, cui respondeat vinea; sub servis male habitis ac trucidatis prophetas; sub filio Christum et sub sperata et tentata bonorum occupatione superiorum imperandi cupidinem intelligit.

Plerique lapidem illum angularem etc. sic accipiunt: Jesus, quem sacerdotes primoresque populi Jud. repudiabant nec doctorem, nedum Messiam agnoscere volebant, doctor praecipuus a Deo constitutus, factus est rex, κεφαλή et κύριος populi pietatis studiosi, conjungens ecclesiam Judaicam cum nova ecclesia christiana. vid. Kunoel. ad h. l.

Aliam viam ingressus est Fritzschius, np. intelligi hl. hominum nationem, ad quam regni messiani ornamenta ex opinione Judaeorum non pertinebant, sed ob vitae probitatem ad hunc honorem evectam (lapidem illum abjectum, sed deinde caput anguli factum) i. e. homines gentiles (vid. ejus Comm. p. 649.). Regnum Messianum impiis Judaeis ademtum Deus concedet piis gentilibus. At huic rei repugnant Act. 4, 11. 1 Petr. 2, 7. Ephes. 2, 20.;

et vs. 44.; nec patet, quomodo Gentiles dici possint lapis angularis.

vs. 43. διὰ τοῦτο] (Fritzsch.), quod literae sacrae abjectum lapidem ad omnium primarium evasisse lapidem vestrum habita ratione docent;

alii (Paul., de Wett.), quoniam vos, qui vobis rectores theocratiae videmini, lapidem angularem repudiastis.

ἔθνει] alii (Fritzsch.) gentiles; alii gentiles atque in melius mutatos Judaeos intelligunt; alii ad solos Judaeos, sed prorsus mutatos ref., ut Paulus ad h. l.; alii populum Christianorum et quos plurimos continet gentiles (de Wettius).

vs. 44. καὶ ὁ πεσὼν κτλ.] et qui in hunc lapidem offenderit, confringetur = qui gentilium honore offensus sit, magnam noxam habebit. Quemcunque autem ille impegerit, eum in partes comminutum dissipabit (Fritzsch.).

Alii (respicientes Jes. 8, 14. 15., ubi Deus cum lapide sancto comparetur,) h. m. qui conditione mea humili offenduntur me meamque doctrinam repudiant, infelices sese reddunt; attamen resipiscere possunt. Sed hostes meos contumaces, ad meliorem frugem redire plane nescios, gravissimis poenis afficiam. cfr. Kunoel. ad h. l.

Alii, ut Grotius, h. m. qui in ipsum adhuc in terris agentem impinget, sentiet imbecillitatem damno suo ut testa saxo illisa. At qui perstiterit (ἐφ' ὃν etc.) in eo oppugnando, postquam jam erit evectus in coelestem regiam, tam funditus peribit, quam testa, in quam saxum ingens ex sublimi loco devolvitur.

Alii, ut de Wettius: hic, quem repudiarunt, Messias de hostibus suis habebit judicium.

Cap. XXII.

Parabola de epulis regiis 1—14.; quaestio Pharisaeorum et Herodianorum de tributo 15—22.; Sadducaei de resurrectione disserunt 23—33.; de gravissimo legis Mos. praecepto 34—40.; de Messia filio Davidis 41—46.

vs. 1. ἐν παραβολαῖς] hl. (quia una tantum sequitur) videtur esse: parabolico dicendi genere usus.

vs. 2. γάμους] alii (Fisch., Kunoel.) convivium; alii (Grotius, Fritzschius) nuptialem coenam. Miro modo Michaelis intell. convivium ob filium in imperii societatem admissum.

vs. 3. τοὺς δούλους] h. l. non omnes regis servos (vid. vs. 4.), sed quibus convivas jam invitatos vocandi provinciam dederat. Etenim bis vocare moris erat.

vs. 4. τεθυμένα] alii: tauri mei saginataeque pecudes sacrificatae; alii (recte): mactatae sunt.

vs. 8. ἄξιοι] sc. τοῦ γάμου.

vs. 9. ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν] alii (Beza): in compita viarum; alii: in vias rusticas (Fisch.).

vs. 10. πονηρούς τε καὶ ἀγαθούς] Fritzschius, quoscunque casus obtulisset; at quid tunc sibi volunt praecedentia: συνήγαγον πάντας ὅσους εὗρον?

vs. 11. οὐκ ἐνδεδυμένον ἔνδυμα γάμου] Plurimi statuunt, principes Orientalium et olim et nunc quoque invitatis eximias mittere vestes, quas qui repudiant, gravissimam eos incurrere indignationem. Quod probari posse negat post Heumannum aliosque Fritzschius, qui haec habet: Scriptor hoc sibi voluit: in trivio quemvis obvium ad coenam vocatum esse, hac puto lege, ut bene lotus atque amictus quisque accederet.

cfr. tamen de hoc more Orientalium
Paulsenius, *Regierung d. Morgenl.* p. 452.
Harmarus, *Beobachtungen üb. d. Orient* t. 2. p. 117.
Rosenmullerus, *A. u. N. Morgenl.* vol. 5. p. 76.

Sens. totius parabolae est: Deus regnum Messianum a Judaeis, quoniam male habent doctores s. legatos div., ad gentiles, qui hoc beneficio digni sunt (np. ob animi sinceritatem), transferet.

vs. 15. ὅπως] alii i. q. πῶς; alii (recte) ut.

ἐν λόγῳ] alii i. q. ἐν λόγῳ τινι, sermone, interrogatione quadam captiosa; alii, per ipsius verba; alii, inter verba i. e. colloquentes cum Jesu; alii quaestione proposita.

vs. 16. μετὰ Ἡρωδιανῶν] alii (Erasm.) milites Herodis; alii (Grot.) partem Sadducaeorum qui Herodem M. illum שִׁילֹה (Gen. 49, 10.) a Jacobo promissum esse opinabantur; alii (Paul.) homines, qui cum Herode, qui neque Judaeis neque Romanis favebat, faciebant; alii aulicos Herodis (nam quum hos, inquit Fritzschius, Romanorum, quorum beneficio Herodes regnaret, imperio favere consentaneum esset, eos destinato consilio comites sibi adjunxerunt Pharisaei, libertatis propugnatores, ut, in quamcunque partem Jesus se vertisset, circumveniretur (Recte!); alii Judaeos, qui a partibus Herodis stabant, et, certe per speciem, auram Romanorum captabant.

vs. 17. ἔξεστι δοῦναι] np. nobis, Judaeis, qui regem habe-

mus numen supremum, cui soli ex lege Mosaica tributum solvere jus ac fas est.

vs. 19. *τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου*] recte Grotius, Paulus, Fritzschius: nummum ex eo genere, quo census exigi solebat s. tributa Romanis solvenda erant. Igitur non sic, ac si denarius solvendo suffecisset.

vs. 20. *τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἡ ἐπιγραφή;*] Summi imperii est, nummum cudere, et si rationes illorum temporum conditionemque sociorum Romanorum foederatarumque civitatum recte consideres, valuisse videtur, quod Maimonides (in tr. Gezelah c. 5.) dixit: ubi nomisma alicujus regis obtinet, illic incolae ejus regionis eum pro domino agnoscunt.

Sueton. Tib. 58. Sub idem tempus consulente praetore, an judicia majestatis cogi juberet, exercendas esse leges, respondit (Tiberius), et atrocissime eas exercuit — — paulatim hoc genus calumniae eo processit, ut haec quoque capitalia essent, circa Augusti simulacrum servum cecidisse, vestimenta mutasse, nummo vel annulo impressam effigiem latrinae aut lupunari intulisse etc. Tacit. Annal. 3, 66.

Sens. Ipsa haec moneta, quae apud vos in usu est, tacite quasi loquitur, vos subditos esse Caesari: igitur etc.

vs. 21. *ἀπόδοτε — τὰ Καίσαρος κτλ.*] alii de solo tributo Caesari ac Deo persolvendo accipiunt;

alii de omnibus, quae Caesari ac Deo praestanda sint. Recte! de Wettius censet, Jesum non dicere voluisse, hominem religione conscientiae ductum summo imperio obedire debere, sed omnino se regnumque, quod conditurus sit, res civiles terrenasque minime curare (Luc. 12, 14. Joh. 18, 36.). Igitur non miscenda esse, quae magistratui et quae Deo religionis caussa debeas.

vs. 23. *οἱ λέγοντες μὴ εἶναι ἀνάστασιν*] rectius in parenthesi posueris; nam sunt a Matthaeo ex suis addita, ut quaestionem eorum bene intelligas. Haud pauci censent, Sadducaeos resurrectionem corporis, minime vero immortalitatem animorum negasse. cf. tamen Act. 23, 8. Joseph. Arch. 13, 18.

vs. 24. *Μωϋσῆς εἶπεν*] Deutr. 25, 5 sqq. de jure leviratus. Etenim primum more majorum (Gen. 38, 12.), deinde lege Mosaica sancitum erat, ut, si quis *ἄτεκνος* diem obiisset, vel frater ac levir (יָבָם) viduae superstitis, vel si talis non aderat, consanguinitate proximus (גֹּאֵל) in matrimonium duceret viduam defuncti et, qui ex ea nasceretur, primogenitum

nomine fratris vel propinqui defuncti referri in tabulas curaret. cf. Wahl. sub v. ἐπιγαμβρ. et Wineri l. l. p. 408.

vs. 26. ἕως τῶν ἑπτά] usque eo, dum illi septem exstincti essent. Fritzschius.

vs. 28. τίνος τῶν ἑπτὰ ἔσται γυνή;] secundum haud paucos judaicos doctores ejus, qui primus eam in matrimonium duxerat. vid. Wetsten. ad h. l. et Michaelis ad h. l.

Sadducaei certe ponunt, per resurrectionem matrimonia etiam in vita post mortem futura continuari.

vs. 29. πλανᾶσθε κτλ.] fallimini, qui meo judicio non intelligatis, quid sacrae literae doceant, nec quid sibi velit resurrectio illa et quaenam sit Dei potestas. NB. Num Sadducaei non nisi libros Mosaicos pro divinis habuerunt, ut multi putant? Cum voluntate illi l. e libris Mosis summi legislatoris, ut Jesum quasi irretitum teneant; hic autem et ipse l. e libris Mosaicis, ut eos refutat, eligit.

vs. 30. ἐν γὰρ τῇ ἀναστάσει] hl. in vita post mortem futura.

ἀλλ' ὡς ἄγγελοι κτλ.] neque cum aliis: sed in coelo sunt, ut angeli Dei; neque cum aliis: sed sunt quasi angeli Dei coelestes vel qui in coelo sunt; verum, ut recte alii: sed qua conditione angeli Dei in coelo utuntur, eadem et mortui utentur. (Grotius: habent in se ipsis πνεῦμα ζωοποιοῦν, i. e. vim internam, quae perpetuo corpus conservat, ἐν δυνάμει καὶ ἀφθαρσίᾳ, unde corpus tale non jam ψυχικόν, sed πνευματικόν dicitur 1 Cor. 15.).

Non liquet, utrum omnes tunc temporis Pharisaei iterationem conjugiorum in hac vita contractorum, procreationem sobolis etc. in vita post mortem futura statuerint, an sapientiores intelligentioresque eadem corporum officia negaverint. Exstant quidem veterum Rabbinorum doctrinae, ut Beracot fol. 17. Raf illa verba frequenter in ore habuit: in mundo futuro neque edent neque bibent (1 Cor. 6, 13.) neque generabunt liberos nec exercebunt commercia; non est ibi invidia, odium, rixa (Apoc. 21, 27.), sed justi sedebunt coronis cincti et delectabunt se splendore majestatis div. sec. Exod. 24, 11.

Bemidbar R. 21, 1. R. Isaac dixit: — — quodsi vero quis dicat, in coelo nos edere et bibere, discat exemplum Mosis Exod. 24, 16. Etenim si apud Deum nos ederemus et biberemus, certe Moses idem fecisset etc. Verum nemo probavit, has meliores opiniones jam Christi tempore in usu fuisse; fortasse divina servatoris doctrina in causa

fuit, ut perversae Judaeorum opiniones emendarentur. cfr. tamen

Schoettgen. H. H. ad v. 28.

Wetst. ad v. 30.

Eisenmengeri *Entdeckt. Judenthum* t. 2. p. 943.

vs. 31. *περὶ δὲ τῆς ἀναστάσεως τ. νεκρῶν*] quod autem attinet mortuorum resurrectionem (jam vobis demonstraturus sum, doceri eam in ll. ss. de Wett.).

ὑμῖν, quod post *ῥηθὲν* addunt, delendum est, = *τὸ ὑμῖν*?

vs. 32. *ἐγώ εἰμι ὁ θεὸς Ἀβρ. κτλ.*] Exod. 3, 6. Argumentatio haec est: quamquam patriarchae illi jam diu mortui sunt, tamen Deus numen eorum tutelare h. in l. se profitetur, ergo illos etiamnum vita frui necesse est.

Refutavit igitur Jesus Sadducaeos testimonio librorum sacrorum et omnipotentia Dei.

vs. 34. *συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτό*] alii: eodem fine, consultarunt uno animo de eo captando; alii: convenerunt eundem in locum (up. ex hominum, qui aderant, multitudine) (Grot., Fritzsch.). Recte!

vs. 35. *πειράζων αὐτόν*] igitur maligno animo, ut reliqui ejus exploratores. Aliter Marcus 12, 29 sqq. Alii statuunt, bono eum animo Jesum adiisse; alii malo adiisse, sed bono reliquisse. Alii fuisse eum e secta Karaeorum (cf. Rosenmulleri diss. in Keilii ac Tzschirneri Analect. fasc. 3. p. 169 sq.), qui, repudiata traditione, non nisi Pentateuchum et ll. ss. V. T. probabant. At haec secta tunc temporis nondum exstabat. cfr. tamen Paulus ad h. l.

vs. 36. *μεγάλη*] alii i. q. *μεγίστη*; alii quam jure magnam legem appellaveris. Dividere enim solebant doctores Judaici praecepta legis Mosaicae in graviora et leviora. cfr. Schoettgen. ad h. l.

Alii, ut Rosenmull., l. l.: Pharisaei praecepta de ritibus sacris in numerum graviorum, de moribus autem praecepta in numerum leviorum referebant. Contrarium statuisse dicuntur Karaei.

cfr. Deuter. 6, 5. De Wettio haec, quam proposuerant adversarii, quaestio haud difficilis fuisse videtur, quippe quales in quavis doctrina de moribus sponte sua nascantur.

vs. 39. *δευτέρα δὲ ὁμοία αὐτῇ*] alii *ταύτῃ*: multo rectius Fritzschius: *δευτέρα δὲ, ὁμοία αὐτῇ, αὕτη* h. m. secundum autem, huic simile, hoc est praeceptum. Levit. 19, 18.

vs. 40. κρέμανται] i. e. cardo omnium V. T. legum vertitur. Thalemannus: his duobus praeceptis doctrina tota legis et prophetarum continetur. Cic. in Pison. c. 41. in sententiis omnium civium famam nostram fortunamque pendere. Sens. Amor erga Deum et homines unum idemque est; igitur quaestio illa de gravissimo legis praecepto vana est. cfr. Rom. 13, 9.

vs. 43. ἐν πνεύματι] בְּרוּחַ, spiritu ductus divino, *im Zustande der Begeisterung*.

vs. 44. εἶπεν κτλ.] cf. Ps. 110., quem Judaei de Messia interpretabantur, sed ubi vates (non: Davides) regem, de quo canit, dominum suum vocat; Christus igitur et Davidem Psalmi auctorem ejusque interpretationem de Messia (per speciem) probat. hl. Dixit dominus domino meo (i. e. Messiae). Nervus sententiae inest in voce *κυρίῳ μου*: num verosimile est, filium a patre dici dominum? Michaelis (*Anmerkk. über d. N. T.*): dixit dominus domino meo i. e. Jehovae, Deo?!! non: לַאֲדֹנִי, sed לַאדֹנָי, Jesum dixisse.).

Alii opinantur, haec disputata esse a Jesu, ut Pharisaeis de dignitate Messiae rectius cognoscenda suppeditaret materiem.

Alii (de Wett.) Jesum refutare voluisse opinionem, Messiam esse filium Davidis, aut se sublimiore sensu Messiam esse.

Alii, ut probaret, Pharisaeos aeque ac Sadducaeos perperam hunc Psalmum de Messia interpretari eosque perversos esse librorum ss. interpretes. Sic Paulus ad h. l.

Alii, ut finem faceret quaestiunculis, quibus modo Pharisaei, modo Sadducaei eum tentabant. Kunoelius.

Alii, Matthaeum illustri quodam exemplo docere voluisse, quantum Jesus suo ingenii acumine hebetes adversariorum mentes superaverit.

Cap. XXIII.

Jesus inimicissimos sibi homines Pharisaeos ac Sadducaeos, qui coram populo festo paschali eum aggressi erant, et ipse palam fortiterque impugnat, ut tandem aliquando aut sua aut adversariorum causa victrix evadat.

NB. Plerique (ut Schleiermach., Schulz., Kunoel., Olshausen. al.) statuunt, Matthaeum more suo longiores quosdam sermones etiam hic Jesum habentem introduxisse.

vs. 1. τότε] quum Pharisaeos et Sadducaeos ad incitas redegisset.

vs. 2. *ἐπὶ τῆς Μ. καθέδρας*] i. e. publice (s. Dei auctoritate) (ut Calvin.) interpretantur leges Mosaicas, unde eorum auctoritas.

ἐκάθισαν] alii (Glass., Kunoel., Bornem. in Rosenmülleri Repert. II. p. 252., Wahl.,) collocarunt se = sedent; alii (ut Fritzsch.): solent sedere (cfr. Luc. 4, 17.).

vs. 3. *πάντα ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν*] alii (Theophyl., Grot.): quidquid jure cathedrae, sive ut legis interpretes vobis faciendum dictaverint, np. exceptis traditionibus, perversis legum interpretationibus.

Alii (Kunoel., Fritzsch.), Jesum in universum monuisse, ut doctrinam eorum probarent, mores autem fugerent.

τηρεῖν] alii (Griesb., Matth., Kunoel.), librariorum incuria omissum, alii (Mill., Fritzsch.) interpretum male sedulorum cura irrepsisse arbitrantur.

vs. 4. *καὶ δυσβάστακτα*] Mill., Griesb., Kunoel., ut e Luc. 11, 46. huc translata expungunt; Beng. autem ac Fritzsch. retinent ob sententiae gravitatem.

τῷ δὲ δακτύλῳ αὐτῶν οὐ θέλουσι κινῆσαι αὐτά] proverbialis dictio, ut Graecorum *ἄκρῳ τῷ δακτύλῳ ἅπτεσθαι;* Latinorum extremo digito attingere. hl. prorsus non curant.

vs. 5. *φυλακτήρια*] hl. (טוֹטָפוֹת, תְּפִלִּין) laminae vel schedae membranaceae, quibus inscriptae erant variae legis mosaicae sententiae, ut Exod. 13, 1—16. Deut. 6, 4—9. 15, 13—21. et quos thecis (קְצִיצוֹת) insertas Judaei fronte et brachio sinistro aptare solebant ex lege Deutr. 6, 8.; *φυλακτήρια* dicta sunt tum quod praecepta div. in memoriam revocabant, tum quod iis vim inesse opinabantur ad mala quaevis avertenda. Dilatabant autem ea Pharisaei, ut legum studiosiores viderentur. Eadem de causa producebant fimbrias vestimentorum. Hanc eorum vanitatem carpit Jesus. Vid. Wahl., Kunoel., Fritzsch. ad h. l.

vs. 6. *φιλοῦσί τε*] huic lectioni praefert Fritzschius l.: *φιλοῦσι δέ,* partim ut N. T. scriptoribus inusitatam, partim quia praecessit *πάντα δὲ τ. ἔργα* et *πλατύνουσι δέ.*

vs. 8. *μὴ κληθῆτε*] alii: nolite affectare hanc honorificam appellationem; alii: ne appellemini, *lasst euch nicht nennen.* Non enim vocabunt vos ita, si offendi ea re vos animadvertent (Fritzsch.).

ὁ διδάσκαλος] sic legunt Grot., Bez., Mill., Bengel., Kunoel., Fritzsch. al., quia *ῥαββί* h. m. exprimere

solent Nostri et vs. 10. utrumque Christus manifeste distinguit.; alii, Loesn., Matthaei., Griesbach. minus recte ὁ καθηγητής i. e. dux (e vs. 10.).

vs. 8—10. Ne affectetis rabbi titulum; unus enim est vestrum doctor (Christus); ne vocetis (sc. aliquem) patrem vestrum (tanquam scholae principem, in cujus nomen doctrinamque juretis,) in hac terra; hoc enim nomen soli Deo, patri coelesti, convenit; neque appellemini duces; unus enim vestrum dux est — Christus. — Haec gravitas severum morum doctorem decet neque, ut multi censent, mitiganda est. — Sens. Nolo hierarchiam (de Wett.).

vs. 11. ὁ δὲ μείζων ὑμῶν] i. e. major autem inter vos sc. reliquis (cf. Wineri Gr. p. 97.) e sua quidem ipsius sententia. Fritzsch. Quo quis inter vos majorem in ecclesia obtinebit dignitatem, eo sciat sibi non plus imperii concessum, sed plus oneris injunctum. Grot.

vs. 13. et. 14. transposita sunt in plerisque Codd. Grot., Griesb., Fritzsch. vs. 13. pro insititio habent ob sedis inconstantiam, ob varias in locis parallelis (Marc. 12, 40. Luc. 20, 47.) lectiones; et quia in multis Codd. desunt.

ὅτι] propterea quod s. quoniam.

κατεσθίετε τὰς οἰκίας] vi insidiisque ad se rapere, devorare facultates viduarum.

προφάσει] ad speciem diu precantes.

διὰ τοῦτο] i. e. pietatem simulantes graviori poena afficiemini.

vs. 14. ἔμπροσθεν ἀνθρώπων] coram, in conspectu hominum: hl., ut jam Casaubonus observavit: fermer la porte au visage sive au nez, *vor der Nase zuschliessen.* i. e. beatitudine Messiana privare.

τοὺς εἰςερχομένους] alii, ut Grot.: eos, qui alioqui intraturi erant, si viam recte panderetis; alii, Heum., Kuinoel. qui intrare volunt. Lutherus, *die hinein wollen.*

περιάγει κτλ.] alii: omnem lapidem movere ut etc.; alii proprie de itineribus ad proselytos faciendos susceptis. Joseph. Antt. 2, 3. (Recte!).

vs. 15. ἕνα προςήλυτον] alii, ut Kuinoel., unum saltem; minime, nam deest κἄν.

Erant autem apud Judaeos partim proselyti portae (גֵּרֵי־הַשַּׁעַר) i. e. pagani sive servi sive liberi, qui Palaestinam incolentes ritibus quibusdam sacris et praeceptis, noachicis, quae vocant, observandis (i. e. contumeliose in Deum dictis, idololatriae, homicidio, incestui, rapinis,

rerum novarum studio, usuique carnium sanguinolentarum vitandis,) sese obstrinxerant; partim proselyti justitiae (גֵּרֵי־הַצֶּדֶק), qui sacris patriis missis universam legem mosaicam observabant, qui ex opinione Rabbinorum circumcisione, baptismo, oblatione suscipiendis civitate jud. donabantur. cf. Wineri Realw. s. h. v. et Wahlii lex. s. v. προσηλ. De studio Judaeorum proselytos ubique conquirendi vid. Danzius in Meuschenii N. T. e Talmude illustr. p. 649 sqq. (qui tamen sinistre de h. l. judicat).

καὶ ὅταν γένηται] sc. προσήλυτος; alii: et quando hoc factum est.

υἱὸν γεέννης] i. e. υἱὸν ὀλέθρου, poenis infernalibus dignum i. e. hominem perditissimum (Casaub.).

διπλότερον ὑμῶν] male Kypk.: fallaciorem, (ita ut oppositum sit ἁπλοῦς), quam vos estis: hl. vel: duplo vobis, qui gravissimas luatis poenas, dignum (Kuinoel., Fritzsch.); vel: sic eum instituitis, ut duplo magis, quam vos, poena dignus sit.

Sed quomodo. Nonne impostores majorem culpam sustinent? Ex de Wettii sententia Christus hoc sibi voluit: „error ac superstitio cum aliis communicando duplicatur atque auctoritas, qua doctores apud discipulos suos valent, majora capit incrementa. Plus imputari posse hominibus in errorem inductis, nullo modo statuendum est: igitur, ut saepe alias, hl. verba Christi non urgenda sunt. — Neque studium Gentiles ad sacra judaica perducendi improbat, sed infrenatam proselytos faciendi cupidinem.“

Ex sententia Olshausenii: „Etiamsi Pharisaei perditi erant homines, tamen sacra per Mosen instituta in eos (vel inscios) perpetuo vim quandam habebant. Id vero nullo modo fieri poterat in Gentilibus, qui partim a sacris patriis etiam post conversionem adhuc pendentes partim per impostores istos veritatem divinam male edocti a vita beata longius aberrarent necesse erat.“ — Videtur haec interpretatio praeferenda, quia Christus rem non subjective, sed objective considerat. Omnis h. l. difficultas tollitur, si υἱὸν γεέννης non tam hominem poenis infernalibus dignum, quam civem regni diabolici i. e. vitiorum sordibus inquinatum explicas.

vs. 16. οὐδέν ἐστι] res nullius momenti est i. e. jurejurando non tenetur.

ὀφείλει] i. e. jusjurandum suum praestare debet.

ἐν τῷ χρυσῷ] alii, de auro, quo templum obductum erat: alii de vasis sacris intell.; alii de thesauro templi in

gazophylacio. At Jesus haec omnia incerta reliquit, omnino aurum in templo significans, ut recte monet Fritzsch.

vs. 17. μείζων] hl. augustius.

vs. 21. ἐν τῷ κατοικήσαντι] qui templum habitare solet. Sic Griesb.; alii lectionem ἐν τῷ κατοικοῦντι (per templi habitatorem) praeferunt, sine justa causa. Nullo autem modo ferenda est Boltenii opinio, Matthaeum scripsisse שֶׁיּוֹשֵׁב בּוֹ, quod positum est in eo i. e. pecunia ibi reposita.

Sens. Sive objective sive subjective rem consideraveris, per quamcunque rem juraveris, semper sacramenti religione tenearis necesse est; nam res sacrae et pietatis officia arctissimo vinculo inter sese cohaerent nec ullo modo dissolvi possunt.

vs. 23. ἀποδεκατοῦν] decimas omnium frugum persolvere sacerdotibus Judaei obstricti erant lege mosaica (Levit. 27, 40. Num. 18, 21. Deut. 14, 22.), quam qui vel minutissimorum olerum dabant diligentissime sibi observasse videbantur, male neglecto virtutis studio.

τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου] ex more Graecorum per comparativum exprimitur. Alii non male: graviora legis mosaicae praecepta.

ταῦτα δὲ ἔδει ποιῆσαι κτλ.] hl. haec diligentissime facienda sunt, illa non negligenda.

Grotius: quando ita vobis lubet legem interpretari, praestandum quidem illud fuerat, sed ita ut majora ac potiora non omitterentur.

vs. 24. οἱ διϋλίζοντες κτλ.] hl. homines diligentes in rebus levissimis, negligentes in gravissimis. cfr. Vorst. de Adagg. N. T. c. 3, 2.

vs. 25. γέμουσιν ἐξ ἁρπαγῆς καὶ ἀδικίας] (alii minus recte leg. ἀκαθαρσίας, ἀκρασίας) alii ref. ad Pharisaeos h. m. intus omnibus vitiis repleti sunt; alii ad vasa (τὸ ποτήριον et τὴν παροψίδα) ut Fritzsch., Win., *sie haben einen Inhalt, der aus Raub und Ungerechtigkeit entstanden ist.*

Recte Fritzschius monet γέμειν τινός esse aliqua re repletum esse; ἔκ τινος refertum esse ita, ut aliquid plenum illud fecerit.

vs. 26. καθάρισον κτλ.] Sens. impie agitis pietatis speciem prae vobis ferentes, de vera pietate, quae intus est, securi.

vs. 27. τάφοις κεκονιαμένοις] dealbare solebant Judaei sepulcra tum ornatus causa, tum ne quis imprudens sepulcrum calcando pollueretur. Num. 19, 16. cfr. Wetst.,

Schottg. ad h. l. et Nicolai de sepulcris Hebr. 1, 2, 11 sqq. 4, 3.

vs. 29. ὅτι οἰκοδομεῖτε] Sens. Male vobis erit, Pharisaei et Legisperiti. Nam vultis quidem videri magni facere prophetas aliosque Dei servos, quorum monumenta non sine ostentatione reficitis atque etiam verbis profitemini, si illis vixissetis temporibus, non futuros vos fuisse saevitiae illorum participes (qua in re illud certe verum est, plus quam vultis, vos esse prolem τῶν προφητοκτόνων) atque interim nihilo meliores estis quam illi erant. Jam enim animo geritis, quod brevi prodituri estis re ipsa. Idem meditamini, quod illi faciebant. Mortuos honoratis, quia vobis obstare non possunt; superstites eadem quae illi et perfectius docentes odio non nisi per caedem satiando persequimini. Immo si quid ad ipsorum improbitatem deest, id vos explebitis. Grotius.

vs. 30. εἰ ἤμεθα κτλ.] si viveremus (impiis) majorum temporibus, nullo modo participes essemus caedis prophetarum, nos qui vel mortuos omni honore afficimus. Plerique interpretes male sic: si vixissemus — — non fuissemus.

vs. 31. ὥςτε μαρτυρεῖτε ἑαυτοῖς] itaque contra vosmetipsi testamini.

ὅτι υἱοί ἐστε] recte notat Kunoelius, inesse amphiboliam; nam υἱὸν εἶναί τινος significat et filium, progeniem esse alicujus et similem esse alicui.

vs. 32. καὶ ὑμεῖς πληρώσατε] alii (Elsn.): agite (καί??), implete; alii: atque implete. Id unum recte!

Alii (Grot., Kunoel., Win. permissive: quando vultis, hoc agite; alii idque recte ironice; ut Bez., Fritzsch., qui haec habet: atque vos addite, quaeso, sceleste factis majorum vestrorum, ut denique illud, nescio quod, perfectae perversitatis absolvatur exemplum; alii, ut de Wett., μέτρον et ad morum perversitatem et ad poenas ref.

τὸ μέτρον] Nam populorum, inquit Grotius, delicta diu dissimulata tandem, ubi omnem patientiae div. modum vicerunt, tam severe punit Deus, ut cum nullam ejus aetatis hominibus faciat injuriam neque iis supra proprium meritum mala infligat, ea tamen poena tanta appareat, ut videatur sufficere posse omnium etiam antecedentium aetatum sceleribus luendis. Hic delictorum modus a Deo exspectatus mensura s. complementum iniquitatis dicitur. Genes. 11, 16. Jes. 27, 8. Jobi 20, 22.

vs. 33. πῶς φύγητε] alii i. q. πῶς φεύξητε; alii conjunctivo

tribuunt vim: oportere, debere, *sollen*. cfr. Wineri Gr p. 121.; alii leg. φεύξεσθε.

vs. 34. διὰ τοῦτο] alii conjungunt cum verbb. καὶ ἐξ αὐτῶν ἀποκτενεῖτε: alii (Grot.): ut mensura div. patientiae plenissime in vobis impleatur, etiam me occiso. hl. ut mensuram impietatis patrum vestrorum impleatis.

προφήτας καὶ σοφοὺς καὶ γραμματεῖς] alii (Chrysost.) in his verbis similitudinem quandam discipulorum Christi cum V. T. prophetis deprehendunt;

alii, Jesum significare, apostolos suos non minus legatos esse div., sapientes legumque div. peritos, quam quos Judaei his nominibus ornabant — (Kunoel.);

alii, eum diversissimi generis negotia discipulis simul subeunda comprehendere voluisse (Fritzsch.).

ἀποκενεῖτε] laudant hunc in locum Stephanum (Act. 6, 7.), Jacobum, fil. Zebed., Act. 12, 2.

σταυρώσετε] aliis Jesus, impetu animi abreptus, ad suum ipsius vitae finem allusisse videtur, quoniam nullus ex ejus discipulis in crucem actus sit;

alii, Jesum in universum dicere voluisse: Judaei omni modo in meos saevient ac vel exteras gentes, imprimis Romanos, ad crudelem excitabunt persecutionem.

vs. 35. πᾶν αἷμα δίκαιον] vos omnem lapidem movere videmini, ut omnis injustae caedis culpam soli suscipiatis.

ἐκχυνόμενον ἐπὶ τῆς γῆς] alii: qui in terra vestra effusus est; alii (recte): qui omnino in hac terra effunditur (non: effundetur).

ἕως τοῦ αἵματος Ζαχαρίου, υἱοῦ Βαραχίου] De hoc Zacharia admodum variant interpretes.

Alii, Zachariam, patrem Johannis baptistae, sive ab Herode sive a Judaeis in templo necatum, intellexerunt. cfr. de his nugis Fabricii cod. apocr. t. 1. p. 120.

Alii, ut Paulus, laudasse Jesum locum libri deperditi (ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ. Luc. 11, 49.). Quod sumtum, non probatum est.

Alii de Zacharia propheta, cujus oracula etiamnum adsunt. cfr. Zachar. 1, 1. Michaelis l. l. p. 232. quamquam et hic rem ambiguam esse declarat. At nil relatum legitur hac de re.

Alii, Zachariam, Baruchi (at Barachiae hl. dicitur!) filium, paulo ante excidium Hierosolymorum a zelotis in medio templo trucidatum, teste Josepho B. J. 4, 6. 4. cfr. Krebsius in Obss. At tunc Aoristus positus esset hl. pro

Futuro. — Hugius (*Einl.*), tempore, quo Matthaeus scripserit, illam caedem jam factam fuisse perhibet, auctoremque Jesum de re praeterita verba facientem introduxisse. — At apud Josephum et Baruchi et Barascaei filius Zacharias ille dicitur; tum hoc facinus non pertineret ad *μέτρον τῶν πατέρων* implendum, de quo solo Christus loquitur. Errant igitur, qui Jesum et de prima et de novissima caede verba facere opinantur. Hinc etiam facile patet, quid statuendum sit de objectione eorum qui Uriam, prophetam, jussu Joakimi trucidatum (Jerem. 26, 21 sq. 2 Chron. 36, 4.??) — at non *μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστ.* — commemorant. cfr. quae in contrariam partem disputavit Theilius in l. N. Krit. Journ. ed. a Winero et Engelhardto vol. 2. fasc. 4. p. 401.

Alii, ut de Ammonius (Nov. Opusc. theol. p. 112.), sermonem quidem esse de Zacharia, Baruchi filio, a zelotis interfecto, sed verba *ἕως τ. αἵματος υἱοῦ τοῦ Βαραχίου*, neque a Christo neque a Matthaeo, verum a graeco Matthaei interprete addita esse.

Alii, ut Eichhornius (*Einleitung* t. 1. p. 511.), Jesum quidem locutum esse de Zacharia, Jejodae filio, sed graecum Matthaei interpretem scripsisse *υἱὸν τ. Βαραχίου*, quo animos aequalium acrius feriret. — Simili modo Berthholdtus (*Einl.* t. 3. p. 1269.) interpretem graecum pro *Ἰωδαέ* scripsisse *Βαραχίου*.

Alii, ut Wessenberg. glossema esse censet.

Alii, ut Grotius, Kunoelius, Jojadae, summi sacerdotis filium, jussu Joasi, regis Judaeorum, in atrio sacerdotum lapidibus obrutum (2 Chronic. 24, 20. sq.), ejusdemque patrem duo gessisse nomina, alterum Jojadae, alterum Barachiae, opinantur. Huc etiam trahitur nota Scholiast. cod. Mosquensis: *Ζαχαρίαν δὲ τὸν Ἰωδαὲ λέγει· διώνυμος γὰρ ἦν.* At id fingitur, non probatur.

Alii: videtur Jesus, qui totus erat in nefarie factis majorum Judaeorum commemorandis, caedem et primo (Genes. 4, 8.) et ultimo ll. ss. loco memoratam retulisse, ut omnia complecteretur. Igitur statuendum est, verba *υἱοῦ Βαραχίου* aut lapsu Grammaticorum oscitationeve librariorum in textum irrepsisse, (quod certe fieri potuit,) aut Matthaeum duo confudisse nomina.

NB. Teste Hieronymo in exemplo Nazaraeorum etiam Jejodae nomen legitur. —

Cfr. quae de vita Matthaei §. 2. diximus de hoc Zacharia, Barach. filio.

μεταξὺ τ. ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου] in atrio sacerdotum. Caedes autem ad aram facta multo erat atrocior, quia vel iis, qui graviter deliquissent, asylum praebebat. Exod. 21, 14. 1 Regg. 1, 51. 2, 28 sqq. Seneca Troad. 45. ipsas ad aras majus admissum scelus.

ἐφονεύσατε] quia populus idem est per multa secula. Marc. 10, 3. Joh. 6, 32. Grotius.

vs. 36. *ταῦτα πάντα*] haec omnia, quae dixi i. e. caedes piorum hominum et poenae.

ἐπὶ τὴν γενεὰν ταύτην] Theophyl. recte: *ἐπὶ τοὺς τότε ὄντας Ἰουδαίους.*

vs. 37. *ἀποκτείνουσα*] quae interficere soles i. e. tu, interfectrix prophetarum.

ὄρνις] hl. gallina. Inest imago benevolentiae ac tutelae. cf. Eurip. Hercul. Fur. 71. *Οἵ θ' Ἡράκλειδι παῖδες, οὓς ὑποπτέρους Σώζω νεοσσοὺς, ὄρνις ὡς ὑφειμένη.*

vs. 38. *ὁ οἶκος ὑμῶν*] alii intell. templum; alii rempublicam Judaeorum; alii urbem Hierosolymorum; alii haec tria simul. cf. Loesneri comment. de domo orba ad Matth. 23, 38. et Luc. 13, 35. Lips. 1769. et in Commentt. theoll. a Velthus. etc. vol. 2. p. 49 sqq.

vs. 39. *οὐ μή με ἴδητε ἀπάρτι, ἕως κτλ.*] dico enim vobis, vos me ab eo inde tempore non esse visuros, donec etc.

Alii: me non amplius videbitis in templo (ubi haec dixerat Jesus,) ut doctorem, verum ut judicem i. e. ubi rediero ad excidium urbis, sedis imperii, tunc intelligetis, me esse Messiam. Probe enim scivisse Jesum, Judaeos ipsum nunquam pro Messia esse habituros.

Alii, ut Schottus (in Comment. exeg. dogmatic. in eos J. Chr. sermones, qui de reditu ejus ad judicium — agunt p. 256.): ab hoc inde tempore non amplius me inter vos (igitur non solum in templo) conspicietis (neque amplius me habebitis doctorem benevolentiae plenum, saluti vestrae consulentem) usque dum dixeritis (quod neque ipsi de me dicere neque alios de me dicere voluistis): celebretur, qui nomine Dei venit!

Alii, ut Fritzschius: vestri domicilii (Hierosolymorum) magna erit solitudo (v. 38.); nam, mihi credite, appetit (haec mala afferens) tempus, quo Messiam me salutare vos (quotquot salvis perniciem effugere licuerit) oportebit (v. 39.).

Alii, ut Grotius: ait Jesus, venturum tempus cum libenter ipsi ea usuri sint acclamatione, si ea ratione ipsius

gratiam possent eblandiri, tum scilicet, cum ipsum videbunt a patre mundi judicem constitutum. cf. Phil. 2, 10. Nam ad conversionem Judaeorum haec trahere durum mihi videtur, cum tota oratio sit commonitoria et ad ejus aetatis homines (τ. τ. γενεάν) pertineat.

Cap. XXIV.

In hoc ac sequenti cap. Christus de excidio templi et Hierosolymorum, de adventu suo splendido ad judicium habendum ac de sorte piorum et impiorum agit.

v. 1. *προςῆλθ. οἱ μαθηταὶ κτλ.*] Aliter Marc. 13, 1.

Alii censent, quia sermonem Christi de templi urbisque interitu (23, 38.) recenti adhuc memoria tenebant. Erasm.

Alii de templi excidio, 23, 38. agi negantes, discipulos putant magnificentia templi et elegantia captos Jesum, ut idem sentiret, monuisse, hunc autem oblata opportunitate ea omnia calamitoso, quod Messiae aetatem praecedat, tempore plane dirutum iri primo paucis verbis significasse, deinde ad id provocatum uberius ostendisse. Fritzsch.

τὰς οἰκοδομὰς τοῦ ἱεροῦ] de templo ejusque porticibus egregie exornatis ab Herode M. cf. Joseph. B. J. 5, 5. 6. et Wineri *Realw.* s. h. v.

vs. 2. *βλέπετε ταῦτα πάντα*] Alii legunt: *οὐ βλεπ. τ. π.* h. m. nolite haec omnia tantopere admirari! aut: nonne admiramini haec omnia? aut: annon videtis haec omnia? Sic nuper de Wettius: *nicht wahr, ihr seht?*

Alii, *οὐ* omisso, h. m. attente haec omnia contemplamini! haec lectio Casaubono, Fritzschio al. placet h. m. videtisne haec omnia?

λίθος ἐπὶ λίθον] ne bini quidem lapides coagmentati remanebunt: Theophyl. *τὴν παντελῆ ἀπώλειαν τῆς οἰκοδομῆς* (Chrysost. *τὴν ἐρημίαν ἐνδεικνύμενος τὴν παντελῆ*) *αἰνιττόμενος.*

vs. 3. *τῆς σῆς παρουσίας*] Alii ad Jesum Hierosolymis per Titum evertendis numine suo praesentem referunt.

Alii (recte) adventum Jesu ad regnum Messianum gloriose instaurandum intelligunt.

τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος] alii (Cleric., Hammond.) de excidio reipublicae Judaeorum, templi sacrorumque accipiunt;

alii, de fine temporis ante gloriosum Messiae adventum.

vs. 5. πολλοὶ ἐλεύσονται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου] Quamquam temere haud pauci Simonem Magum, (Act. 8, 9.) et Dositheum, Theudam sub Cuspio Fado (Act. 5, 36. Joseph. Archaeol 20, 5, 1.), et Aegystium illum (cujus seditio memoratur Act. 21, 38. Joseph. B. J. 2, 13. 5.) a Felice oppugnatum ac fugatum subintell., quorum nullus Messiam se professus est, tamen inde patet, quanta superstitio rerumque novarum i. e. regni Messiani cupiditas vulgus Judaeorum tenuerit.

vs. 6. πολέμους καὶ ἀκοὰς πολέμων] Alii πολέμους ref. ad bella in patria, ἀκοὰς πολ. ad bella extra patriam gesta, v. c. bellum Asinaei et Alinaei, fratrum Judaeorum, cum Parthis in Mesopotamia et Babylonia, quo ter proelio dimicatum est. cfr. Josephi Ant. J. 18, 9. 1. — Bardanes et post eum Vologeses, Izati, Adiabenorum regi Judaeo bellum indixerunt, sed frustra. cfr. Joseph. Ant. 20, 3. 3. Vitellium, praefectum Syriae, contra Aretam, Arabiae regem, expeditionem facientem mors Tiberii retinuit. cf. Joseph. Ant. 18, 5. 3. Sed haec omnia, quae Christus ex opinionibus tunc temporis de omnium rerum perturbatione ante instaurationem regni Messiani dixit, minime ad unguem revocanda sunt.

ὁρᾶτε, μὴ θροεῖσθε] alii: videte ne perturbemini; alii, ut Grotius: considerate ista diligenter; sed ne ita movemini istis, quasi extrema essent malorum quae Judaeos manent ob contempta tot ad poenitentiam hortamenta. Recte Fritzschius: ὁρᾶτε, vobis cavete, μὴ θροεῖσθε, nolite perturbari. Alias scribendum fuisset ὁρᾶτε μὴ θροῆσθε.

δεῖ γὰρ πάντα γενέσθαι] haec vulgaris lectio aut, suadente Kunoelio, in: τὰ πάντα aut, auctore Grotio et Fritzschio, in ταῦτα πάντα mutanda est h. m. est in fatis, ut omnia, quae 4—6. dixi, eveniant.

οὔπω ἐστὶ (alii, ut Fritzsch. ἔσται) τὸ τέλος] alii de interitu urbis; alii de παρουσία vel de fine mundi, qui nunc sit; alii, ut Grotius, Fritzschius, de fine aerumnarum capiunt. Sequuntur enim vs. 7. 14. multo atrociera mala.

vs. 7. ἐγερθήσεται — ἔθνος ἐπὶ ἔθνος] alii ref. ad bella Parthorum, Armeniorum; alii, ut Grotius, ad seditiones caedesque Judaeorum Caesareae, Scythopoli, Ptolemaide, Tyri, Gadaris, Alexandriae et Damasci: βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν autem ad Tetrarcharum et provinciarum aperta inter se bella, v. c. ad bellum Peraeensium Judaeorum adversus Philadelphenos ob finium controversiam sub Cuspio Fado; ad bellum Judaeorum Galilaeorumque adversus Samaritanos sub Cumano. cfr. Joseph. B. J. 21, 2. 12.

Alii ref. ad seditiones Judaeorum in exteris terris habitantium, ut in Syria, Aegypto etc. Alii, ut Kypkius ad domestica. λιμοί ref. ad famem sub Claudio quater saevientem Romae, in Palaestina, in Graecia iterumque Romae (Act. 11, 28. Joseph. Ant. 20, 2.): λοιμοί, ad pestem, quae grassata est per Babyloniam (Joseph. Ant. 18, 9. 8.), Italiam (Tacit. Ann. 16, 13.), minime vero per Palaestinam. (Inest paronomasia in voce λιμοί et λοιμοί.)

Verum haec omnia aucta sunt atque exaggerata ad maximam omnium rerum perturbationem maximasque calamitates describendas.

σεισμοί] alii (Schleusn.) de motibus bellicis; alii temere ad terrae motum in Creta, Smyrnae, Mileti, Chii, Sami, de excidio Laodiceae in Asia (Tacit. Annal. 14, 27.) et Pompejorum in Campania terrae motu; alii (Kypk.), vel de animorum commotionibus, hl. terrae motus.

κατὰ τόπους] alii, ut Bengel.: passim; alii, ut Grot., Wetst., Kypk.: multis s. variis in locis; alii, ut Beza, Kunoel., Fritzsch. ubivis locorum, singulis in locis.

Sens. in toto orbe terrarum erit fames, pestis terraeque motus.

vs. 8. *ἀρχὴ ὠδίνων*] (חֲבָלִים, חִיל), initium partus dolorum; nam puerpera in ipso demum partu acerrimos fert dolores.

vs. 9. *τότε*] alii: circa ista tempora (Grot.). hl. post illas calamitates omnibus communes ingruent vobis, discipulis meis, aliae.

ἀποκτενοῦσιν ὑμᾶς] i. e. nonnullos, plures.

μισούμενοι — — διὰ τὸ ὄνομά μου] alii perperam ref. ad ll. Act. 5. 6. 7. 8. 12. 22., quid quod ad persecutionem Christianorum sub Nerone, de qua vid. Tacit. Ann. 15, 44. At hic non nisi de apostolis (minime de asseclis Christi in universum) sermo est.

vs. 10. *σκανδαλισθήσονται πολλοί*] alii, Fritzsch., fore, ut homines omni contumelia apostolos vexent, sed hujus imitatio perversitatis ad ipsos Christianos pertineat, ut in se invicem saeviant.

Alii rectius de hominibus, qui se abripi patiuntur ad deserendam Christi disciplinam. Grot.

παραδώσουσι] sc. εἰς θλῖψιν i. e. hominibus, qui mala infligant. Sens. Futurum, ut Christianorum alii alios tradant, np. qui a Christianismo deficiant eos qui perseverant. Nulli autem crudeliores sunt in veram religionem quam qui eam deserunt, seu quia contemptum lucis crassissima mentis

caligine Deus ulciscitur seu quia et ipsi quidvis agunt, ut a suspicione prioris studii se liberent. Grot.

vs. 11. ψευδοπροφῆται] alii de impostoribus Act. 20, 29. 30. 2 Cor. 11, 13.; alii ref. ad opinionem Judaeorum de magna impostorum caterva tempore Messiano futura.

Sanhedrin fol. 97, 1. Sota fol. 49, 2. traditio est R. Nehemiam dixisse, ea generatione, qua filius David venturus est — totum regnum convertetur in doctrinam Sadducaeorum. — Huic accedit R. Isaac, qui dixit: non venturus est filius David, donec omne regnum in doctrinam Sadducaeorum conversum sit.

vs. 12. ἡ ἀγάπη] alii de amore Christi ejusque disciplinae; alii: multorum (sed legitur τῶν πολλῶν); alii: multorum (quos vs. 10. et 11. memoravit) Christianorum; alii: amor multitudinis Christianorum.

vs. 13. ὁ δὲ ὑπομείνας] alii ad constantiam in religione chr. profitenda ref.; alii ad constantiam in amore erga alios alendo (alii: in fide et amore).

εἰς τέλος] Alii de excidio templi et civitatis Judaicae, quo tempore multi pii Pellae locisque montanis refugium invenerint, teste Euseb. H. E. 3, 5. vid. Krebsius ad hl.

Alii de fine vitae, ut Elsn., Kuinoel.

Alii: qui perpetuo constantem se praebuit in amore, is beatitudine Messiana potietur, ut Fritzsch.

Alii (de Wett.) usque ad Messiae adventum.

vs. 14. ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ] non de imperio Romano, sed de toto orbe terrarum hl. intelligitur.

εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν] Alii: ut barbarae quoque gentes hac doctrina imbuantur.

Alii: ut testimonio sit omnibus gentibus i. e. ut barbarae gentes, cognita doctrinae meae praestantia, contumaciam Judaeorum vindictaeque justitiam intelligant. Sic Grot. et Kuinoel.

Alii, ut Fritzsch., ut omnes gentes testari possint = ut omnes nationes (rei i. e. acerbissimarum calamitatum, omnium rerum perturbationis ac splendidi Messiae reditus,) notitiam habeant.

καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος] alii: et tunc excidetur urbs ac respublica Judaeorum (Kuinoel.); alii: et tum (evangelio ad omnes gentes perlato) appropinquabit judiciorum Dei adversus Judaeos s. calamitatum finis (Grot. ac Fritzsch.); alii: finis omnium rerum (quo etiam pertinet eversio Hierosolymorum) — de Wett.

vs. 15. το βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως] i. e. foeda, detestabilis vastatio; Dan. 9, 27., ubi dicitur de statua Jovis Olympii ab Antiocho Epiphane in templi tecto collocata.

Alii hl. de statua Titi aut Hadriani post excidium urbis in templi loco posita, ut Patres gr. et Schultkessius in l. *Die Lehre v. heil. Abendm.* Lips. 1824. p. 23. (cujus rei nulla in historia vestigia sunt).

Alii (Hieronymus) aut de Antichristo, aut de imagine Caesaris, quam Pilatus in templo posuerat, aut de statua Hadriani in sancto sanctorum accipi posse monent. Quae autem omnia testimoniis justis destituta sunt.

Alii, ut Elsnerus, de Zelotis, qui omni caede templum pollueriht. Joseph. B. J. 4, 3. 12.

Alii, ut Grot., (coll. Luca 21. 20.), Bengel., de Wett., Kunoel., Paul., de exercitu Romanorum sub Tito, qui et per se, quippe idololatriae cultores, et ob patriam solumque sanctum evertendum abominabiles Judaeis. Cfr. etiam Hugii l. *Einl.* ed. 3. p. 12.

Alii, ut Fritzschius, certe definiri non posse, quoniam Jesus visum in templo τὸ βδέλ. τ. ἐρ., quod Danielis descripserit, capessendae fugae signum posuerit, quale antem sit id constituere attento Danielis lectori permittens (ὁ ἀναγιγνώσκων νοείτω!).

ἑστώς] pro quo Fritzsch. ἑστός.

ἐν τόπῳ ἁγίῳ] apud Danielem de templo; hic de terra sancta, s. locis Hierosolymorum vicinis. de Wettius.

(ὁ ἀναγιγνώσκων νοείτω!)] alii verba Matthaei (Hug., Schott., Olshaus.); alii Christi esse monent et in parenthesi collocanda, ut Bengel., Fritzsch.

vs. 16. ἐπὶ τὰ ὄρη] montes eorumque cavernae, latebrae tutum praebebant in Palaestina refugium (de Wett. ref. ad fugam Christianorum Pellam. Euseb. h. eccl. 3, 5.).

vs. 17. ὁ ἐπὶ τοῦ δώματος κτλ.] hl. nolite tempus consumere in supellectile colligenda, sed fugite per domicilia (plana, ut sunt apud Orientales, ita ut facile ex uno ad alterum usque ad urbis murum progredi liceat). Sic recte Kunoel. Alii aliter, ut Grot., Bengel., Wetst. de scalis in publicum projectis s. ut Wolfius de funibus, quibus se in publicum demitterent etc.

ἆραι τά] Bengelius leg. τι.

vs. 18. ἆραι τὸ ἱμάτιον] Fritzschius praefert l. τὰ ἱμάτια. Etiam Grotius eam non addubitat. Virg. Georg. 1, 299.

nudus ara, sere nudus. hl. de quovis in agro opus faciente leviterque vestito.

vs. 19. οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις κτλ.] quippe quae non satis expeditae sint ad fugam capessendam.

vs. 20. χειμῶνος] tempestates hiemis fugientibus impedimento sunt.

σαββάτῳ] Alii de anno septimo s. sabbatico, quo nullae in agris erant fruges. vid. Relandi Antiqq. Hebr. p. 4. c. 10. §. 1.

Alii, qui inde a Maccabaeorum tempore Judaeis die Sabbati decertare et fugam capessere licitum fuisse perhibent (cf. Schoettgen. ad h. l.), Jesum difficilem declarasse fugam, quia die sabbati urbium portae clauderentur. Neh. 13, 19. 22. Sic Heumannus al.

Alii, ut Calvinus: ne festinationem vel religio, vel itineris asperitas et brevitas dierum impediat ac moretur.

Alii, ut Grotius, Kuinoelius, omnino de Judaeis, qui religione impediebantur hoc die (Exod. 16, 29.) ultra bis mille cubitorum spatium ambulando emetiri, opus facere, onus portare, hostibus resistere, fugere. cfr. etiam Wetsten. ad h. l. Wolf. in Curis ad h. l. Lightf. ad Act. 1, 12. de Wettius: „*Wie passt diese Aengstlichkeit aber zu der freisinnigen Ansicht Jesu vom Sabbat? Auch hat es Marcus weggelassen.*" At tunc neque Apostoli nedum alii Christi discipuli et asseclae mentem ejus recte jam percepisse videntur.

vs. 21. ἀπ' ἀρχῆς κόσμου ἕως τοῦ νῦν] scil. κόσμου (ex mente Fritzschii) h. m. a mundo inde condito usque ad eam ejus formam, quae nunc est.

Alii: a mundo inde condito usque ad hoc tempus. Caeterum haud pauci allegant hl. Josephum, qui in prooemio I. de B. J. et 5, 10. 5. Judaicum illud bellum post hominum memoriam calamitosissimum fuisse in suam rem dixit.

vs. 22. πᾶσα σάρξ] est hyperbolice dictum; hl. Palaestinenses (cf. v. 16.).

εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν] alii ad numerum dierum calamitosorum referunt; alii ad horas cujusque horum dierum imminutas, ut Fritzschius.

διὰ τοὺς ἐκλεκτούς] Alii, ut Paulus, Michaelis, respici opinionem illam antiquam (Genes. 18, 23 sq.), qua publicae calamitati finis a Deo imponitur, ne pii cum impiis pereant.

Alii intell. Judaeos pietatis studiosos, ut Storrius.

Alii, ut Suskindius in Symbolis P. 3. p. 6. et Schott. in Comment. p. 57., Hierosolymitanos excidio urbis et de veritate religionis christ. convictos et ad meliorem mentem revocatos.

Alii, ut Kuhoelius, de Christianis e Judaeis, qui fuga prohibiti in patria remanserant.

hl. homines pii sive Christiani sive Judaei.

Caeterum monendum est, a multis huc referri, quae de excidio urbis perscripsit Joseph. B. J. 5, 12. 1. Tacit. Hist. 5, 11.

vs. 23. *τότε*] Christus ad secundam, inquit Grotius, transit quaestionem, np. de regno Messiae: prima erat de excidio urbis et tertia de interitu mundi judicioque extremo. Sic haud pauci. Num recte? infra videbimus. Kuhoelius miram habet opinionem: docet, inquit, Christus, apparitionem suam excidio urbis fore inconspicuam.

vs. 24. *ψευδόχριστοι*] aliis laudatur Jonathas in Cyrenaica, quem Catullus armis disjecit (sed is post excidium urbis prodiit. cf. Joseph. B. J. 1, 7. 38.); aliis Barchochba sub imperatore Hadriano (Euseb. H. E. 4, 6.), Menander Samaritanus aliique in Aegypto, Cypro, Creta aliisque in locis.

ψευδοπροφῆται] alii falsos int. doctores, qui oracula V. T. ita interpretarentur, ut persuaderent vulgo illos impostores esse Christos (Grot.);

alii, falsos prophetas omnino; utrum se pro Elia aliisque V. T. prophetis ab inferis ex opinione Judaeorum excitandis venditent nec ne, nihil h. l. significatur.

δώσουσι σημεῖα] alii, pollicebuntur miracula, ut Kypk., Krebs. al. seducti loco Joseph. B. J. 2, 13. 4. hl. edent.

ὥστε πλανῆσαι κτλ.] i. e. ut non solum incredulos Judaeos, sed et eos qui Christo nomen serio dederant in suas pertrahant partes. Grotius.

vs. 26. *ἐν τῷ ἐρήμῳ ἐστί*] sc. Messias.

vs. 27. *ὥςπερ γὰρ ἡ ἀστραπή κτλ.*] Alii (Kunoel.): efficaciam meam potentissimam ipse invisibilis modo visibili longe lateque declarabo; idque inopinato ac celeriter.

Alii (Fritzsch.): eadem, qua fulmen, celeritate repente nemini obscurus aderit Jesus Messias. de Wettius: *die Erscheinung des Messias ist wie der Blitz, Allen sichtbar, so dass es keiner Anzeige bedarf, er sei da oder dort erschienen.*

vs. 28. *οἱ ἀετοί*] cf. Job. 34, 30. Plerique de vulture percnoptero vel de vulture barbato intell., repugnantibus Forscalio et Paulo; nam constat aquilas aversari cadavera. cf. Wineri Realw. s. h. v.

Aliis aquilae sunt signa Romanorum militaria; cadaver Hierosolyma exitio destinata. Sic Lightfoot., Wetsten., Michael.

Aliis, ut Bengelio, cadaver est Judaismus; aquila pseudochristi et pseudoprophetae et copiae Romanorum.

Aliis aquilae s. vultures sunt poena; cadaver homines poena digni. Sic Rosenm., Schott. al. Sens. ubi culpa, ibi poena.

Aliis, ut Susk. in Symbol., vultur est ipse Messias poenas infligens; cadaver populus cadaveri similis i. e. corruptus poenisque dignus.

Aliis, ut Grotio, cadaver (*οἱ τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦντες*) qui corporis cupiditates enecant; aquilae dona Spiritus s., quae signa sunt regni Messiae.

Alii, Irenaeus, Chrysost., Beza, de angelis comitantibus Christum ad judicium extremum.

Aliter denique Leighius ac Fritzsch.: ubi cadaver, ibi vultures = ubi Messias, ibi homines, qui ejus potestatis futuri sint (h. e. *οἱ ἐκλεκτοί* v. 31.).

vs. 29. *ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται κτλ.*] Alii, ut Bengel., de magno hominum interitu, quo spectatores solis ad paucitatem rediguntur.

Alii, ut Kunoel., de obscurationibus solis ac lunae terrae motu effectis.

Alii, ut Fritzsch., de defectionibus solis ac lunae proprie sic dictis (et extraordinariis de Wett.).

Nobis videtur poetica esse descriptio rei gravissimae.

οἱ ἀστέρες πεσοῦνται ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ] Alii, ut Kunoel., censent et de stellis posse accipi h. m. splendorem suum amittent: et de corporibus stellis similibus, globulis sulphureis, quae ardere solent ac de coelo decidere videntur.

Alii, ut Bengel., cadent non in terram, sed erunt, quasi non essent, sine luce.

Alii, ut Fritzsch., referunt ad speciem ejusmodi qua stellae praecipites labi coelo videntur.

καὶ αἱ δυνάμεις τ. οὐρ. σαλ.] i. e., ut paucis, copiae coelestes (צְבָא הַשָּׁמַיִם, sol, luna, sidera) quassabuntur.

Qui plura cognoscere velit aegra interpretum somnia vid. Lightfootum, Grotium (qui per solem legis div. notitiam, per lunam mundi regna, per sidera doctores, quorum principes 12. apostoli sint, significari opinatur), Schottum, Glassium, Kocherum etc.

Etiam hoc in loco non omnia ad vivum resecanda sunt; cf. similes imagines atque omnium rerum perturbationem praenuntios apud Joel. 3, 3. 4. Jos. 13, 10. 24. 23. 34, 4. 50, 3. 60, 19. 20. Ezech. 32, 7. Amos. 8, 9. Mich. 3, 6. 7. Ovid. Met. 15, 782 sqq. Virgil. Georg. 1, 463 sqq. Cic. Catilin. 3, 8. Liv. 22, 4. 5. et Bertholdti l. l. p. 53., ubi opiniones Judaeorum exponuntur.

τότε] i. e. *μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων*; alii ref. ad vs. 29.

vs. 30. *τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου*] Alii signum crucis, ut Chrysostomus, Hieronym., Theophilactus, Jansenius.

Alii cometen intell., qui ante excidium Hieros. apparuerit, ut Elsnerus. Joseph. B. J. 6, 5. 3.

Alii ut Morus: documentum, quo constat, Messiam in coelo esse h. e. regnare hostesque sibi subjicere. — At tunc scribendum erat *τοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ*, monente jam Fritzschio ac Paulo.

Alii ut de Wett. et Cleric. de rebus quae in terra eveniunt, de interitu Hierosolymorum; ut Michaelis, signa militaria Titi Romanorum, qui sub auspiciis Christi ad Judaeos puniendos pugnant.

Alii, ut Kuinoelius, intell. omnia, quae vs. 29. leguntur.

Alii, ut Grotius, purae evangelicae doctrinae praedicationem.

Alii, ut Storrius, i. q. *τὸν υἱὸν τ. ἀνθρ.* ipsum Christum significaare, credunt. Sens. Christus ita se ostendet, ut sit miraculo.

Alii (Fleck. et Olshaus.) stellam, quae ex opinione Judaeorum (coll. Num. 24, 17.) Messiam portendit et jam natalibus Messiae sese ostendit.

Alii (de Wett.), schechinam (fortasse tonitrua, fulgura, nubes etc.), qua Messias aliquamdiu involutus est, sed mox ex ea emergit. cfr. Philo exsecratt. p. 937., qui Judaeos redeuntes ejusmodi schechinam antecedere facit.

Alii, ut Fritzschius, prodigium filii hominis h. e. mira-

culum, quod Jesus revertens Messias oculis objiciet, in coelo conspiciendum.

τότε] *beim Anblick der die Christophanie ankündigenden furchtbaren Himmelserscheinungen.* Paulus ad h. l.

κόψονται] np. ob prodigia longe terribilia et ingentem Messiae advenientis pompam.

πᾶσαι φυλαὶ τῆς γῆς] alii: omnes Judaeorum familiae; hl. omnes terrarum gentes.

vs. 31. καὶ ἀποστελεῖ τοὺς ἀγγέλους κτλ.] alii sub angelis intell. doctores religionis chr., sub tuba libertatem docendi, sub electis pios christianos;

alii ad judicium extremum referunt;

alii ad excidium reipl. Judaicae.

ἐκ τῶν τεσσαρων ἀνέμων κτλ.] ex omnibus omnino orbis terrarum plagis.

Sens. Messias aliquando omnes pios undique ad beatitudinem Messianam per angelos congregabit.

Alii (de Wett.) ref. ad congregationem omnium populorum et christianorum et non christianorum (primum tamen congregantur fideles 1 Thess. 4, 17. 2 Thess. 2, 1.) facta np. mortuorum resurrectione.

vs. 32. παραβολήν] hl. exemplum.

vs. 33. ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις] alii, ut Kunoel, subintell. ἡ ἀπολύτρωσις ὑμῶν;

alii, ut Schott., θέρος i. e. messem animorum instare doctrina mea et religionis oeconomia nova latissime propaganda;

alii, ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ;

alii, ut Grot., Storr., ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Recte!

vs. 34. ἡ γενεὰ αὕτη] Alii, ut Wolf., Heum., Storr. (*Neue Apologie d. Offenbrg.* p. 323.): haec Judaeorum gens non interitura est, donec omnia haec prodigia eventu comprobata sint.

Alii (Schott.) ad eversionem Hierosolymorum ref.

Alii (de Wettius) ad genus humanum quod nunc vivit (16, 28.).

Alii, ut Paulus., ad Christi sectatores, *die Menschenclasse seiner Verehrer, zu der er auf dem Oelberge sprach.*

Alii: haec hominum i. e. aequalium natio. Grot., Leigh., Beng. Recte! cfr. Matth. 16, 28. Luc. 9, 27.

vs. 35. παρελεύσεται] cfr. 2 Petr. 3, 7 sq.

οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθ.] dicta mea omnino, praecipue haec, eventu non carebunt (de Wett.).

vs. 36. *περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης*] sc. *τῆς παρουσίας τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.* Alii, ut Susk. et Schott., ref. ad tempus, quo ὁ *οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσεται.*

vs. 38. *ὥςπερ γὰρ ἦσαν κτλ.*] similitudo non inest, ut Wolf., Grot. voluerunt, in vitae deliciis, sed in vitae securitate.

vs. 39. *καὶ οὐκ ἔγνωσαν*] np. poterant ex navis fabricatione conjicere, instare diluvium. 1 Petr. 3, 19. 20.

vs. 40. *εἷς παραλαμβάνεται καὶ εἷς ἀφίεται*] Alii (Kunoel.): captivus abducitur alter, alter dimittitur.

Alii (Paul., Schott.): ad beatitudinem Messianam pertingit alter, alter excluditur.

Alii (Beng.): in fidem et tutelam recipitur alter, alter non.

Alii (Grot.): alter velut apprehensa manu educetur e communi periculo; vel (Fritzsch.): duorum hominum in eodem negotio occupatorum alteri saluti est Messiae adventus, alteri detrimento (25, 31 sq.).

vs. 41. *δύο ἀλήθουσαι*] sc. *ἔσονται.* Hoc erat mulierum vid. Exod. 11, 5. Jes. 47, 2. Herodot. 47, 187. Homer. Odyss. 20, 105. cf. Goetzius de pistrinis veterum Cygneae, 1730. 8. p. 189 sq. Wineri *Realw.* s. h. v.

vs. 43. *εἰ ᾔδει — — ἐγρηγόρησεν ἄν*] Alii: si sciret — vigilaret; recte Fritzschius: si sciret, vigilasset; ponitur enim paterfamilias, cui fur iam damnum intulit. NB. Hanc parabolam praecipue Apostolis dictam esse contendunt.

vs. 45. *τίς ἄρα ἐστὶν ὁ πιστὸς δοῦλος κτλ.*] Alii, ut Grot., Kunoel., pro *εἴ τις.* Minime! Est hl. quis tandem est fidus ille servus etc. np. quem beatum praedicaveris? Beatus est ille etc.

de Wettius (problematice): *wer möchte doch ein solcher Knecht seyn? oder: möchte doch jemand ein solcher Knecht seyn! (?)*

ἐπὶ τῆς θεραπείας] pr. de ministerio, quod aegrotis praestatur; deinde famulitium, munus dispensatoris.

vs. 47. *ὅτι ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσι*] i. e. qui antea fuerat *οἰκόνομος,* fit *ἐπίτροπος.*

vs. 48. *ὁ κακὸς δοῦλος ἐκεῖνος*] Fritzschius *ἐκεῖνος* delendum esse censet, quia antea de hoc malo servo nondum sermo fuerat.

vs. 51. *διχοτομήσει αὐτόν*] **Alii** (**Bez.**, **Bolten.**) i. q. separabit (גזר) eum a reliquis servis, dimittet eum.

Alii (**Grot.**) i. q. *διχοτομῶν τὴν οἰκίαν ἀφορίσει αὐτόν*, coll. 25, 32.

Alii (**Chrysost.**, **Michael.**, **Kunoel.**, **Schott.**): crudeli poena afficiet, quia sequentia de servo adhuc vivo loquantur.

Alii: in duas partes secabit s. crudeli morte afficiet. Significatur enim supplicii genus crudelissimum, Chaldaeis (Dan. 2, 5. 3, 29.), Hebraeis (2 Samuel. 12, 31.), Aegyptiis (Herodot. 3, 16.), Graecis (Diod. Sic. 17, 83. Xenoph. Anab. 1, 9. 13.) et Romanis (Suet. Calig. c. 27.) notum, quo singula membra abscinderentur. cfr. **Wineri** *Realw.* p. 405. Sic hl.

καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ μετὰ τῶν ὑποκριτῶν θήσει] i. e. eandem cum simulatoribus sortem ei (**non** dominus, sed Messias) constituet, np. in geenna, ubi ex opinione Judaeorum simulatores versantur.

Alii (ut **Kunoel.**) perperam: amandabit eum in ergastulum.

Gell. 13, 16. ex Panaetio: Sic vivamus, sic loquamur, paratos nos ut inveniat atque impigros fatum. Animus omni in loco atque tempore prospiciens sit, mens erecta, ardua, septa, solida, expedita; nunquam connivens, nusquam aciem suam flectens, consilia et cogitationes veluti brachia et manus protendens, ne qua in re repentina incursio imparatis improtectisque nobis oboriatur.

Cap. XXV.

vs. 1. *τότε*] **alii** (**Fritzsch.**): commissis geennae suppliciis, qui de Messia praeter exspectationem venturo nihil solliciti vitiis se emancipaverint (24, 51.);

alii: reditu Messiae.

ἡ βασιλεία τ. οὐρανῶν] **alii** de ecclesia chr., **alii** de regno coelesti accipiunt.

δέκα παρθένοις] mos erat apud Judaeos, Graecos et Romanos, sponsam in sponsi aedes cum facibus deducere. Hl. autem sponso sive peregre habitanti sive peregre profecto, qui et ipse adolescentes quosdam comites secum habet, virgines i. e. amicae sponsae obviam procedunt, ut eum in sponsae domum deducant indeque in sponsi ipsius aedes. **Cur decem virgines?** R. Salomo dixit: Mos est in terra Israelitica (**alii** l. Ismaëlitica), ut sponsam ducant e

domo patris sui in domum sponsi — ferantque ante eam circiter decem baculos ligneos, in uniuscujusque summitate vasculum instar scutellae habentes, in quo est segmentum panni cum oleo et pice. His accensis facem ei praeferunt. cfr. Lightf. et Wetsten. ad h. l. Videtur hic numerus certus pro incerto positus esse.

Paulus: *Die Parabel spielt an (nicht auf die öffentliche Heimführung der Braut, sondern) auf das erste gl. überraschende Eindrängen des Bräutigams in das Harem der Braut.* Hanc in rem affert l. ex Russelii l. *Geschichte von Aleppo.* P. 1. p. 406 sq.

vs. 1. et 6. *ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου*] aut cum Beng., Kuinoel. al., quia vs. 6. sequitur: *ἐξέρχεσθε εἰς ἀπάντησιν αὐτοῦ!* interpretandum est: obviam prodire voluerunt, aut cum Fritzschio statuendum, puellas sponso obviam ivisse, ita, ut, ne longius domo proficiscerentur, apud nescio quem deverterent, donec illum prope abesse nuntius afferret, quo facto eas paullulum in via progressas esse.

vs. 9. *μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ*] Alii (Stephan.): quid si sufficere nobis et vobis non possit?

Alii (Albert., Kypk., Loesn., Kuinoel., Schott.): fortasse neque nobis neque vobis sufficeret.

Alii (Elsn., Palaeret.) subint. *ὁρᾶτε*, videte, ne nobis non magis quam vobis sufficiat.

Alii (Moschius, Fritzsch.) *φοβούμεθα*, veremur, ne ita nobis atque vobis non sit satis futurum.

vs. 10. *εἰς τοὺς γάμους*] alii: in coenaculum; alii: domum ad celebrandas nuptias introierunt; alii: nuptias ipsas intelligunt.

vs. 13. *οὐκ οἶδα ὑμᾶς*] quia vos non vidi in numero me prosequentium, dubito vos admittere ad nuptias.

vs. 13. Post *τὴν ὥραν*, additur, *ἐν ᾗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται*, quod quia in optimis codd. deest, ut additamentum delendum est. Missis iis quae haud pauci de lampadibus, oleo, (sub quo alii sp. s. alii, ut de Wett., vigilantiam intell.) virginibus somno oppressis etc. disputarunt, ut Bengelius in Gnom. p. 1. Grotius ad h. l. (qui ad Jacob. 3, 2. provocat.) Ewaldus (*der Blick Jesu auf Natur* etc. p. 188 sq.), finis totius parabolae huc redit: vigilandum est, ne inopinatus Messiae adventus te opprimat securumque regno suo excludat. — Alii: solis apostolis; alii omnibus sine discrimine Christianis haec parabola dicta est.

vs. 14. *ὥσπερ γάρ*] deest apodosis; sic etiam Messiam esse

facturum; alii (de Wette) denn (es ist) so wie oder gleich wie nämlich.

ἀποδημῶν] quum in eo esset, ut peregre abiret.

vs. 15. τάλαντα] vid. 18, 24.

ἑκάστῳ κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν] recte Loesn., Kunoel.: pro sua cuique ingenii solertia rerumque tractandarum peritia; male Kypk. pro suis ipsius (sc. heri) facultatibus h. m. quamvis inaequalis fuerit argenti summa, quam servis commiserat, dominus; illum tamen magnam summam largiter et suis divitiis convenienter singulis tradidisse.

vs. 16. εὐθέως δὲ πορευθεὶς] recte Fritzschius hanc lectionem e Codd. pro vulgari: ἀπεδήμησεν. εὐθέως πορευθεὶς δὲ κτλ. restituit, qua sollertia ministri bene indicatur.

ἐποίησεν] hl. i. q. ἐκέρδησε, ut Latinorum facere.

vs. 18. ὤρυξεν ἐν τῇ γῇ] alii: defodit illud in terra; alii (Kunoel.): foveam fecit in terra. Bene?

vs. 20. ἐπ' αὐτοῖς] ad ea = praeter illa quinque talenta etc.

vs. 21. ἐπὶ ὀλίγα] quod pauca attinet etc.

εἴςελθε εἰς τὴν χαρὰν τ. κυρίου σου] alii (Kunoel., Schott.): intra coenaculum domini tui i. e. sis mihi conviva; alii: fruere felicitate in regno meo Messiano (Grot.).

vs. 24. θερίζων κτλ.] est proverbialis dictio, depingens hominem qui ex alieno agro messem facere granaque in congiarium colligere cupit.

vs. 25. φοβηθεὶς] sc. quoniam non sine periculo negotiari, pecuniam collocare potuissem.

ἔχεις τὸ σόν] est formula nihil ultra se debere profitentis — (Grot.).

vs. 26. ὀκνηρέ] segnis in re administranda.

vs. οὖν] i. e. si noveras, me esse habendi cupidum.

βαλεῖν] in foenore collocare apud mensarios. cf. Salmasius de foen. trapezit. p. 632.

vs. 30. ἐκβάλλετε] sc. vos, fideles impigrique mei ministri, ejicite eum in geennam.

Missis iis, quae alii de heri abitu, numero talentorum, nummulariis, foenore etc. nugati sunt, sensus ad hoc redit: vigilandum est, ne Messias, qui bonos fidelesque

beat in regno suo, improbos infidelesque regno suo excludit, te securum segnemque praeter opinionem opprimat. (Alii (de Wett.): non solum vigilandum esse, sed tempore viribusque a Deo concessis recte utendum; imprimis Apostolis curae cordique esse debere, ut fines regni div. prorogent; quoniam Messias in secus agentes severissime sit judicaturus.).

vs. 32. *πάντα τὰ ἔθνη*] Alii (Grot., Curcell.): quicunque omnibus in terris nomen Christi professi sunt.

Alii (Keilius in diss. de argumento l. Matth. 25, 31 sq. et in l. Analecten etc. fasc. 3. p. 177.) de praemiis ac poenis hominum a sacris christianis alienorum, prouti primos Christianos aut adjuverint aut impediverint, aut benevole exceperint aut vexaverint. cfr. contra Wurmius: Observatt. ad judicandam Keilii sententiam de argumento etc. Tubing. 1815. et Schottus in Comment. p. 194 sqq.

Alii, ut Oertelius (Christologie p. 592.), Des Cotes (*Schutzschrift f. J. v. Naz.* p. 692.) de christianis eorumque adversariis secernendis, illis beandis, his puniendis.

Alii, ut Eckermannus, de triumpho Christianismi de Judaismo in hac terra.

Alii, ut Grunerus, de Judaeis in societatem Christianorum aut recipiendis aut excludendis.

Alii, ut Kunoelius, Fritzschius, omnes omnino gentes sive vivas sive mortuas intelligunt.

καὶ ἀφοριεῖ αὐτούς] scil. per angelos, 13, 49. Etenim Messias vices Dei agit in judicio extremo; angeli apostolique vices agunt Christi.

τὰ πρόβατα] i. e. probos, *ἀπὸ τῶν ἐρίφων* i. e. ab improbis sive ut alii (Grot., Kunoel.) volunt, quia hirci libidinis foetorisque pleni sunt, sive, ut alii (v. c. Fritzsch.), quia hoedi minoris haberi solent a pastoribus.

vs. 33. *ἐκ δεξιῶν — ἐξ εὐωνύμων*] per dexteram fausta, per sinistram infausta significantur etiam Hebraeis. cfr. Schoettgen. ad h. l.

Virgil. Aen. 6, 541. Hac (dextera) iter Elysium nobis; at laeva malorum exercet poenas et ad impia tartara mittit.

vs. 34. *οἱ εὐλογημένοι*] (*τοῦ πατρός μου*) recte Lutherus: *ihr Gesegneten meines Vaters* (minime subint. *ὑπὸ τ. πατρός*, ut Kunoel.) i. e. quos pater in deliciis habet vel quibus felicitatem Messianam destinavit, scil. ob pietatem.

κληρονομήσατε κτλ.] pr. *τὴν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου ὑμῖν ἡτοιμασμένην βασιλείαν.*

vs. 35. *συνηγάγετέ με*]

Alii (Erasm., Schmidt.): benevole me excepistis et res meas alicubi reponi passi estis.

Alii (Wetst., Schoettg.): subint. *εἰς τὸν οἶκον* — hospitio me excepistis.

Alii (Kypk., Fritzsch.) h. m. me peregrinantem simul (cum aliis) convivio adhibuistis.

Jalkut Ruben fol. 42. 2. quicunque hospitalitatem exercet, illius est Paradisus. Cfr. de hac opinione Judaeorum Wetsten. et Schoettgen. ad h. l. et Wagenseilius ad Sota p. 335.

vs. 36. *γυμνός*] recte jam Kunoelius: male vestitus.

ἐπεσκέψασθέ με] np. Judaei non solum aegrotorum visitationem religionis esse ducebant, verum etiam iis qui id diligenter fecerint aditum ad regnum Messianum patere statuebant. cfr. Schott. ad h. l.

vs. 40. *ἐφ' ὅσον ἐποιήσατε κτλ.*] Alii (Schott.): quam diu??

Alii (Kunoel.): quatenus np. boni quid feceritis etc.

ἑνὶ τούτων ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων] Alii: vere Christianos; alii: pios homines omnino; alii (recte!): homines infimae sortis.

vs. 44. *καὶ οὐ διηκονήσαμέν σοι*] et quando tibi non ministravimus? i. e. neque te cognovimus esurientem neque etc. neque tibi ministerium obtulimus, nempe nulla nobis oblata erat occasio. Fritzsch.

vs. 46. *εἰς κόλασιν αἰώνιον — εἰς ζωὴν αἰώνιον*] alii vocem *αἰώνιος* absoluto; alii relativo sensu capiunt, quia *ζωή* (i. e. vitae subliminiori sensu) opponitur adnihilatio, interitus.

Tanchuma fol. 54. 2. ad Ps. 36, 7. Justitia tua sicut montes domini. Quomodo comparati sunt illi montes? Resp. non habent finem: et sic quoque retributio mercedis justorum futuro tempore non habebit finem. Judicia tua sunt abyssus magna. Quomodo comparata est illa abyssus? Resp. nemo potest illam perscrutari; et sic quoque poenas impiorum futuro tempore nemo perscrutari potest.

Jam dicendum est de summo c. 24 et 25. fine, de quo fluctuant interpretum sententiae. Nexus autem rerum est hic:

Jesus privatim (καθ' ἰδίαν) a discipulis suis, quo tempore Messias rediturus sit, interrogatus hoc modo respondet: multa hujus rei erunt indicia, falsi Messiae, gravissimum omnium contra omnes bellum, fames, pestis singulisque in locis terrae motus (4—8); persecutiones, internecinum sectatorum meorum odium in se invicem, impostores amorisque defectus (4—14.); foeda abominandaque in loco sancto vastatio funestusque rei funestae exitus, quem vix ac ne vix quidem effugies (15—22.); falsi Messiae, falsi prophetae, qui vel pios seducere conentur (23—29.); tum solis, lunae siderumque obscuratio copiarumque coelestium conquassatio et in coelo signum appropinquantis Messiae nubibus vecti cum angelis electorumque ubique terrarum collectio (30 et 31.): Deinde Messiam proxime abesse (οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη) ficus exemplo illustratur (32—35.); attamen diem horamque τῆς παρουσίας τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ nemini notum esse, affirmat. Quare vigilandum esse docet, ne, ut Noachi aequales diluvium, adventus Messiae homines inopinato opprimat. Quam vigilantiam iterum iterumque variis exemplis (exemplo servi fidelis (42—46) ac infidelis (47—51.); exemplo virginum prudentum et stultarum (25, 1—13.) exemplo fidelium impigrorumque ministrorum atque infidelis segnisque ministri (14—30.) inculcat, ne regno Messiano felicitateque Messiana excidant. Postremo desinit in describendo splendido de omnibus omnino populis, vivis ac mortuis, per Messiam habendo judicio, quo piis aeterna beatitudo, impiis aeterna destinatur damnatio (31—46.).

Haec omnia de Messiae reditu statim post eversionem Hierosolymorum futuro agunt. Falsi igitur sunt interpretes permulti eo, quod verba Christi, quae late patent, in arctius contraxerint, et quae in universum significata erant ad historiam reipublicae Judaicae, imperii Romani rerumque Christianarum etc. retulerint.

Cfr. **Fritzschii** Comment. ad h. l., qui hanc sententiam imprimis defendit.

Plurimi autem interpretes c. 24. et 25. de interitu mundi visibilis et reditu Christi ad judicium extremum, cujus typus atque imago fuerit excidium Hierosolymorum, accipiunt.

I. **Alii** referunt utrumque caput ad interitum civitatis Judaicae, ad incrementa rei christianae et praemia piorum Christianorum. Cfr.

J. D. **Michaelis**, *Anmerkk. in Matth.* p. 237.

Oertelius, Christolog. p. 692.

C. Chr. L. **Schmidtius**, *Bibliothek für Krit. u. Exeg.* vol. 2. fasc. 2. p. 649 sq.

Eckermannus, *Beiträge* vol. 2. fasc. 2. p. 209 sq.

Ejusd. *Handbuch für das systemat. Studium der christl. Glaubenslehre.* vol. 2. p. 581 sqq.

Stolzius, *Erläuterungen d. N. T.* p. 221 sq.

II. Alii, ut Grotius, tripartitam Christi orationem volunt; primam agere de interitu Hierosolymorum; alteram de reditu Christi et tertiam de mundi interitu judicioque extremo.

III. Alii c. 24. et 25. partim de reipublicae Judaicae partim de mundi interitu judicioque extremo capiunt. Quorum

α. alii c. 24, — 25, 29 ad interitum reipublicae Judaicae referunt; c. 25, 30 sqq. ad judicium extremum. Sic Lightfootus, Wetstenius, Jahnius in l.

Bengelii Archiv *für die Theologie* vol. 2. 134 sq.

β. Alii c. 24, 1—29. ad excidium Hierosolymorum; c. 24. vel inde a 36. vel a 42 et sqq. ad judicium extremum referunt.

γ. Alii, 24, 4—27. ad indicia interitus Hierosolymorum; 24, 28—32. ad reditum Christi judiciumque extremum; 24, 33—36. ad devastationem civitatis Judaicae et 24, 37— 25, 46. ad judicium extremum de hominibus a sacris chr. alienis habendo referunt. Cfr.

Schottus, Comment. exeget. dogmat. etc. p. 200.

Kellerus, *Abh. Ist es wahrscheinlich, dass sich die Parabeln Jesu von den zehn Jungfrauen u. der Austheilung der Talente* etc. in Bengelii Archiv vol. 4. fasc. 3. p. 813 sq. (qui vero 24, 4 – 36. de vastatione civitatis Jud. agi arbitratur.)

δ. Alii, ut Kunoelius ad h. l., duplicem Christi *παρουσίαν* statuunt; alteram, quae ad interitum templi et civitatis Judaeorum (24, 1—43.); alteram, quae ad inaugurationem regni Messiani, finem mundi et judicium extremum spectet.

Cfr. etiam Eichhornii *Allgem. Bibliothek* vol. 3. p. 675. 692. 1058. et Flatti diss. de notione vocis *βασιλεία τῶν οὐρανῶν* in Commentt. theol. a Velthus. etc. editis vol. 2. p. 461.

ε. Alii c. 25, 1—30. de reditu Christi ad delendam urbem Hierosolymorum agere putant. Cfr.

Michaelis, *Erklärung des N. T.*

Eckermanni *Theolog. Beiträge* vol. 2. fasc. 1. p. 158.

Hezelii, *Erklärung des N. T.* ad h. l.

Stolzii *Erläuterung z. N. T.* P. 1. p. 149.

Ravii diss. quo consilio J. Ch. parabolam de decem virginibus 25, 1—13. proposuerit. Erlang. 1799.

ζ. Alii, ut Bengelius, h. m. Quaesiverunt discipuli minus distincte 1) de tempore templi destruendi et 2) de signo adventus Domini et finis mundi. Respondet Jesus distincte 1) de templo et urbe destruenda hujusque rei signis, 24, 4 sq. 15 sq.; 2) de adventu suo et fine mundi ejusque rei signis vs. 29—31.; 3) de tempore templi destruendi vs. 32 sq., 4) de tempore finis mundi vs. 36.

η. Alii c. 25, 31 sqq. alio modo intelligunt, qua de re vid. quae ibi notavimus.

NB. Notandum est, quae c. 24. et 25. continentur ad solos discipulos e mente Matthaei dixit salvator. Caeterum de toto hoc loco cf. Schottus l. l.

IV. Alii, ut Herderus (*Ueber die Auferstehung* p. 118.): *Giebt es ein Werk der Zeiten, das die Vorsehung treibt und vollendet, so wird es unsrer Ansicht nach der moralische Plan, eine Scheidung des Guten und Bösen, eine endliche Darstellung des einen Guten als eines göttlichen Zwecks mit unserm Geschlechte seyn. Dass eine solche Zeit erscheine, ist wünschenswerth; das Christenthum lehrt sie uns hoffen, und eine Zeitperiode des allgemeinen Rechts, der allgemeinen Billigkeit und zwar nach der innigsten Regel der Menschheit glauben.* Matth. 25, 14—46.

V. Quamquam Apostoli ad unum omnes in eo consentiunt reditum Christi proxime instare, in multis tamen discrepant. Matthaeus post Hierosolymorum eversionem (24, 29.) reditum Christi et judicium de universo genere humano docet: Lucas (qui post eum scripsit) haec in aliud tempus differt (21, 24.); secundum Johannem post mortuorum resurrectionem et judicium extremum per Christum exercendum pii vita fruuntur beata (5, 21 sqq. 11, 23 sqq. 14, 1 sq. 17, 24. 1 Joh. 2, 28.); Auctor ep. ad Hebr., resurrectione et judicio extremo per Christum habendo silentio praetermissis, non nisi de judicio extremo, aeterna requie (4, 9.), coelestibus Hierosolymis ac bonis (12, 22 sq. 10, 34.) verba facit; Paulus (inpr. in epp. ad Thess., Corinth.) post Antichristi adventum Christum summo cum splendore esse rediturum ad mortuos in vitam revocandos et supremum habendum judicium tradit; Apocalypsis denique duplicem docet resurrectionem et Chiliasmum (20, 1—6).

Ex vario hoc doctrinae typo jure quodam colligitur, Apostolos non verbotenus quae Jesus divinaverat, retulisse et pro suo quemque ingenio, pro rerum publicarum statu, pro ecclesiarum conditione etc. vaticina illa Christi de excidio Hierosolymorum, de reditu suo ac judicio extremo et tradidisse et in usum suum vocasse.

Cap. XXVI.

In hoc et seq. cap. de morte Christi exponitur.

vs. 1. *πάντας τοὺς λόγους τούτους*] Millius et Fritzschius delent voc. *πάντας*; alii ad c. 24, 4—25, 46. referunt; alii ad c. 21, 23—25, 46.

vs. 2. *μετὰ δύο ἡμέρας*] de hoc biduo certi quid dici non potest. Kunoelius tamen statuit, Jesum quae vs. 1. et 2. leguntur, dixisse die Martis, diem Mercurii transegisse Bethaniae ac die Jovis post meridiem Hierosolyma ad festum paschatis celebrandum profectum esse.

vs. 3. *τότε*] Fritzschius: die secundo ante paschatis ferias; Kunoelius: circa illud tempus.

εἰς τὴν αὐλὴν τοῦ ἀρχιερέως, τοῦ λεγομένου Καϊάφα] in palatium pontificis maximi, cognomine (alii: nomine, quia Matthaeus aliud nomen non noverit,) Caiaphae (vel a כֵּיפָא i. e. lapis vel a כַּיָּפָא i. e. oppressor). Nomen ejus erat Josephus (Joseph. Antiqq. 18, 3. 2. et Euseb. H. E. 1, 10.). Adeptus erat munus illud a Valerio Grato, procuratore Judaeae, sed eadem dignitate eum privavit Vitellius, Syriae praeses, qui Jonathanem in ejus locum substituit. Joseph. l. l. 18, 4. 3.

vs. 4. *ἵνα τὸν Ἰησοῦν δόλῳ κρατήσωσι*] Jesus non ita erat vitae prodigus, ut temere se morti objecisset. Insidiis opus erat, quia interdiu vim ei inferre non audebant metu seditionis ac populi, qui ab ore divini doctoris pendebat, ipse autem noctu Bethaniae aliisque in locis inimicissimis suis ignotis versabatur.

vs. 5. *μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ*] Alii (Fritzsch.) suppl. *τοῦτο γενέσθω* i. e. per septem dierum ferias, quae proxime instant.

ἵνα μὴ θόρυβος γένηται] Mos erat apud Judaeos, festo paschali maleficos supplicio afficere (quod alii vel addubitant vel negant,), sed ne tumultus excitaretur ab ingenti hominum, qui tunc temporis in urbem confluere solebant et quorum multi Christo favebant, multitudine, rem in aliud tempus distulerant. Mutavit tamen eorum consilium Judae Cariothensis perfidia.

vs. 6. De eadem re Marc. 14, 3 sqq. et Joh. 12, 1 sqq. agitur atque in paucis tantummodo discrepantia quaedam deprehenditur.

ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ] cognomine leprosi, quod a lepra, fortasse per Jesum, liberatus acceperat.

vs. 7. γυνὴ] Johannes (12, 3.) commemorat Mariam, sororem Lazari, quae pedes salvatoris unxerit.

vs. 8. οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ] aliter rem Johannes retulit 12, 5.

εἰς τί] i. e. quorsum? cui bono? ex perversa illa opinione, quod neque voluptatibus neque opibus augendis inservit, id etiam esse sine fructu.

vs. 10. τί κόπους παρέχετε] i. q. τί πρᾶγμα παρέχετε; quid negotium facessitis mulieri?

vs. 12. πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με ἐποίησεν] fecit id, ut me ad sepulturam praepararet.

Alii (Mosch. ac Storr.) perperam statuunt, Mariam ipsam credidisse, Jesum brevi moriturum esse.

Alii (Grot., Kunoel.) recte censent, Jesum mulieris factum in hanc partem interpretatum esse.

vs. 13. ὅπου ἐὰν κηρυχθῇ τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο, ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ κτλ.]

Alii (Casaub.) ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ ad κηρυχθῇ referunt h. m., ubicunque —, in quacunque orbis terrarum parte, seu: ubicunque —, in toto, inquam, orbe terrarum.

Alii idque rectius ad λαληθήσεται referunt.

τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο] alii: nuntius de morte ac sepultura; alii de doctrina Christi rebusque ab eo gestis accipiunt. Recte.

Alii τοῦτο delendum esse censent, ut Fritzschius, et revera superfluum est, nisi fortasse hoc modo res expediri possit: Sancte vobis affirmo, ubicunque evangelium propagetur, hoc (scil. quod vos, discipuli, et ego de hoc mulieris facto judicaverim,) per totum mundum iri divulgatum et quod fecit haec in sui memoriam.

vs. 14. Accuratius rem exposuit Johannes 12, 2 sqq.

vs. 15. παραδώσω] non est i. q. προδώσω, quod multi interpretes negligunt.

ἔστησαν] alii (Bez.): solverunt; alii (quia praecedit: τί θέλετέ μοι δοῦναι) recte: constituerunt, promiserunt (Grot., Kunoel.).

τριάκοντα ἀργύρια] i. e. viginti imperiales; alii Matth. non tam summam pecuniae, quam vaticinium Zach. 11, 12. referre et de Christo interpretari voluisse.

Caeterum alii (ut Fritzsch.), Judam, qui tantulo pretio doctorem vendiderit, hominem sordidum et insigniter improbum fuisse existimant; alii facinus mitigant statuentes, proditorem partim non praevidere potuisse rem hunc

habituram esse exitum; partim hac eum mente fecisse, ut assessoribus synedrii magni illuderet eosque defraudaret, Christum autem instigaret, ut se Messiam publice profiteretur ipseque magnos in regno Messiano honores, divitias etc. caperet; partim metu, ne ipse cum Jesu reliquisque discipulis captus necaretur.

cfr. Niemeyeri, *Charakteristik d. B.* t. 1. p. 117.
Stolzii *Erläuterungen* fasc. 3. p. 282.
Paulus ad h. l.
Thiessii comment. ad h. l.
Krummacheri l. *Ueber den Geist* etc. p. 296.
Goldhornius in Tzschirneri Memorab. fasc. 2. p. 135.

At enim vero cavendum est, ne justum modum excedas, ut aliquando Tellerus ille Zizensis in libro: *Von gutgesinnten Bösewichtern* etc.

vs. 17. *τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων*] primo autem die illius festi, quo (*τὰ ἄζυμα* sc. *λάγανα* s. *τοὺς ἀζύμους ἄρτους*) panes non fermentatos in memoriam exitus e terra Aegyptiaca comedere lege tenebantur Judaei i. e. pascha, (*ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων*, הַמַּצּוֹת, Exod. 34, 18. Levit. 2, 4. Num. 6, 15.). Alia est Boltenii opinio: die qui pascha proxime antecedit.

τὸ πάσχα] (פֶּסַח, chald. פִּסְחָא a פָּסַח i. e. parcens transiit) pr. 1) agnus paschalis die 14 mensis Nisan *θυσίας* nomine mactandus et comedendus Israelitis in memoriam illius diei, quo angelus mortis primogenitos Aegyptiorum percutiens Israelitarum fores parcens praeterierat: 2) dies agno paschali comedendo lege constitutus s. festum paschale i. e. dies 14 Nisan: 3) festum paschale universum (inclusis azymorum diebus), quod per septem dies a vespera diei 14 mensis Nisan usque ad vesperam diei 21 ejusdem mensis celebrari solebat.

De solemnibus hujus festi Winerus in l. Bibl. Realw. p. 506 sqq. haec habet: *Am Abend des 14 Nisan wurde ein Schaaf oder Ziegenbock, der ein Jahr alt und ohne Leibesfehler war (Osterlamm), im Vorhofe (der Stiftshütte) des Tempels geschlachtet, ganz gebraten (nicht gekocht) und vom Hausvater mit seiner Familie oder andern dazu gebetenen Gästen (immer in Gesellschaft) so verzehrt, dass nichts davon auf den folgenden Tag übrig blieb. Als Zukost genoss man* מְרֹרִים, *bittere Kräuter und ungesäuerte Brodkuchen* (מַצּוֹת) *und kleidete sich in Reisekostüm, beides zum Andenken an den schnellen Auszug aus Aegypten. Dieser Abend des 14 Nisan hiess eigentlich Pascha* (Levit. 23, 6.). — *Das ganze Fest über ass man bloss ungesäuertes Brod,* לֶחֶם עֹנִי, *Trübsalsbrod, (doch wurde 15—21 Nisan eigent-*

lich bloss חַג הַמַּצּוֹת *genannt* Levit. 23, 6. τὰ ἄζυμα Marc. 14, 1.) — — *Täglich wurden besondere Opfer im Namen und zum Besten der ganzen Nation, nämlich Brand- und Sündopfer, dem Jehovah dargebracht; Privatpersonen schlachteten auch Dankopfer und stellten wahrscheinlich Opfermahlzeiten an. — Am zweiten Tage des Festes brachte man die reifen Erstlingsähren auf dem Altare dar* (Levit. 33, 10 sqq.). — *Schlachten durfte das Osterlamm jeder Israelit, der nicht unrein war* (Exod. 12, 16.). — *Der Ort, wo dies geschah, war der Vorhof des Tempels, da hier alle Opfer geschlachtet werden mussten, das Osterlamm aber ein Opfer war* (Exod. 12, 27. Num. 6, 7. 19.). — *Am Genusse des Osterlamms durfte jeder beschnittene (auch wenn er nicht israelitischen Stammes war) Antheil nehmen. — Jeder Hausvater musste das Osterlamm mit seiner Familie essen; war diese nicht zahlreich genug, so durften zwey oder drey Familien zusammentreten* (Exod. 12, 4.). *Spätern Bestimmungen zufolge* (Jonath. *zu* Exod. 13, 4. Jos. Arch. 17, 7.) *sollte die Zahl der Gäste nicht unter zehn u. nicht über zwanzig seyn. Israeliten, die nicht in Jerusalem ansässig waren, erhielten von den Bewohnern das nöthige Zimmer unentgeldlich eingeräumt, wofür sie denselben die Haut des Osterlamms und die gebrauchten irdenen Gefässe überliessen. Indess war die Zahl der das Pascha besuchenden Juden viel zu gross* [Josephus *rechnet bei einem Pascha unter dem* Cestus, 2,700000 *Menschen*], *als dass sie alle hätten auf die Art ein Unterkommen finden können (der Umfang der Stadt betrug etwas mehr als eine Meile); die meisten mochten also vor der Stadt sich lagern und unter Zelten das Osterlamm essen, ähnlich den heutigen Mahomedanischen Wallfahrern nach Mekka. — Spätere Gebräuche bei der Ostermahlzeit waren nach* Pesach. 10. *folgende: Man reichte vier Becher Wein herum, jeden mit einem Denkspruche, der dritte hiess* calix benedictionis (cf. 1 Cor. 10, 26. τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας). *Zwischen ihnen sang man das grosse* Hallel. Ps. 113—118. *Zuweilen fügte man noch einen fünften Becher bei; dann wurde noch* Ps. 120—127. *gesungen.* cf. praeterea Wahlium s. v. πάσχα, de Wett. l. l.

Hic locus maximis laborat difficultatibus interpretesque multum exercuit.

A. Johannes (13, 1. 18, 28.) refert, Jesum πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα coenam illam cum suis instituisse eumque in crucem actum esse eodem die, quo Judaei coenam paschalem habituri erant. Matthaeus, Marcus et Lucas unanimi consensu narrant, Jesum pridie ante mortem epulas paschales cum suis celebrasse. Hinc Usterius (Comment. crit.

Turic. 1823.) Matthaeum non nisi famam ad aures perlatam literis mandasse; Theilius (in libro infra l.) Johannem verum retulisse, Matthaeum autem memoria lapsum esse arbitratur.

NB. Alii negant, Jesum cum discipulis suis coenam paschalem habuisse. Tunc enim statuendum esset, eodem eum die accusatum, male tractatum et supplicio affectum esse, quo coena paschali frui et potuisset et debuisset. Hinc non nisi sermonem esse posse de coena communi. Sic Calmetus, Deylingius.

Alii, ut Grotius, Hammondus, Clericus, Jesum, qui mos etiam apud nostrae aetatis Judaeos obtinet, non πάσχα θύσιμον, sed μνημονευτικόν (ubi non agno, verum azymis tantum cum lactucis agrestibus utebantur,) celebrasse. — At hunc morem jam ante Hierosolymorum excidium invaluisse probari nequit: neque tanto apparatu opus fuisset, neque quidquam hac de re in evangeliis indicatur et ipsa vox θύειν repugnat.

Alii, ut Beza, Jesum quidem eodem cum Judaeis die coenam paschalem habuisse, sed, quia illo anno dies 14 mensis Nisan in Jovis diem inciderit (Luc. 22, 7—24, 6.), ne duo, qui sese exciperent, sabbatorum dies Judaeis molesti essent, diem Veneris, quo Christus supplicio affectus sit, fuisse profestum. — At tunc certe apparatus epularum sacrarum locum habebat. Cf. quae contra monuit Theilius. *Neues kritisches Journal von Winer und Engelhardt.* tom. 2. p. 158 sqq.

Alii, ut Ikenius, Heumannus, Ernestius, Kunoelius, statuunt, Jesum cum Sadducaeis (e quibus Karaei orti sunt), qui visa nova luna s. φάσει mensem inceperint, non, ut Pharisaei et postea Rabbanitae ex calculo astronomico pependerint, coenam paschalem uno die anticipasse.

Argumenta potissima haec sunt: primum e Joh. 18, 2. synedrii assessores praetorium Pilati intrare recusant, ne polluantur et ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα; tum Joh. 19, 14. dies, quo Christus obiit, est παρασκευὴ τοῦ πάσχα s. πρόσαββατον; deinde verba Christi Matth. 26, 18. ὁ καιρός μου ἐγγύς i. e. tempus de quo convenimus instat; porro Joh. 19, 31. dies, quo Jesus in sepulcro est, dicitur ἡμέρα μεγάλη τοῦ σαββάτου; denique non verosimile est, assessores synedrii, inprimis Pharisaeos, ritus sacros Christi supplicio violasse. Sic Scaligerus, Casaubonus, Capellus, Lampius. Speciosior etiam est similis Ven. Hugii sententia. Ex ejus mente Marc. 14, 12. (coll. Luc. 22, 7.) ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον, intelli-

gendi sunt, non Judaei, sed *οἱ μαθηταί.* Idem referre etiam Johannem in vv. *πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα.* Ex more Judaeorum et lege Gemarae, „prosabbatum eadem esse sanctitate qua sabbatum ipsum," facile factum esse, ut certa quadam conditione epulae paschales pridie ante festum haberentur. Jam vero Jesum ipsum satis superque significasse hoc i. e. exemtionem a lege communi l. Matth. 26, 18., *ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστι* (coll. Joh. 13, 1.).

At Karaeos et Rabbanitas in mensium initio constituendo, illos *φάσιν,* hos calculum astronomicum secutos uno die discrepasse, ponitur nec ullo modo probatur, ut luce clarius probavit Paulus in Comm. vol. 3. p. 541 sqq. ed. 2. Utrique eodem modo menses descripserunt. Etiam Philo et Josephus nullam harum sectarum hac in re discrepantiam commemorant.

Alii, ut Paulus ad h. l., probabiliter docent, haud semel ipso festo paschali facinorosos homines supplicio esse affectos, quod in Christo multo facilius fieri potuit, quia Pilatus jus vitae necisque exercebat.

vs. 18. *πρὸς τὸν δεῖνα*] i. e. ad hominem quendam, cujus nomen proferre aut non possumus aut nolumus, quia nihil attinet, monente Hermanno in Viger. = פְּלוֹנִי אַלְמֹנִי.

Alii, ut Stolzius ad h. l., censent, Matthaeum nomen hospitis reticuisse, ne homini tunc temporis adhuc vivo negotium facesseret.

Alii, Jesu, jam antequam suos ablegaret, tanto hominum festo paschali confluxu, cum illo homine de coenaculo convenisse. cfr.

Lilienthalii, *die gute Sache der göttlichen Offenbarung* t. 16. p. 1218.

Moschii *Erklärung d. Leidensgeschichte* t. 1. p. 53.)

Alii, ut Gablerus (*Neuestes theolog. Journal* vol. 2. p. 455.), praeeunte jam Theophylacto, reticuisse Jesum hospitis nomen, ne Judas rem resciret et cum satellitibus Pharisaeorum coenam turbaret.

Alii, Matthaeum ad finem properantem brevius, Marcum et Lucam, qui nomen exhibent, copiosius scripsisse.

ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστιν]

Alii, ut Rupertius, haec verba glossema esse opinantur.

Alii, ut Kuinoelius: tempus, de quo convenimus,

Alii, ut Erasmus, Schmidtius, Hugius, (*Einleitung*

vol. 2.) h. m. quoniam supplicium brevi subeundum est, prius quam fieri solet, coenam paschalem habebo idque apud te.

hl. quia tempus supplicii instat, coenam paschalem, qua ante mortem frui par est, apud te apparabo.

ποιῶ] aliis est Futur. Attic.; aliis Praesens. Sic hl.

vs. 19. καὶ ἡτοίμασαν τὸ πάσχα] i. e. mandata Jesu exsecuti epulas paschales pararunt, (non, ut Kunoelius, agnum paschalem mactando excoriando; nam huic rei Jesus tanquam paterfamilias ipse interesse debebat, sed,) agnum, panes, herbas amaras emendo, recte monente Fritzschio.

vs. 20. ὀψίας] בֵּין הָעַרְבַּיִם, Exod. 12. inde ab hora tertia usque ad quintam pomeridianam Judaei mactare solebant agnos paschales, auctore Josepho (B. J. 6. 9.); inde a solis occasu usque ad multam noctem ipsa coena frui.

ἀνέκειτο] Lightfooto monente atque Usterio; Judaei Mosis praeceptum Exod. 12, 11. haud semel neglexerunt.

vs. 22. ἤρξαντο κτλ.] i. e. quum nondum omnes perorassent, Jesus jam suis respondit: ὁ ἐμβάψας etc. Sic Fritzsch.

vs. 23. ὁ ἐμβάψας] male Luth., Schott, Kunoel.: qui intingit; recte alii qui intinxit.

τὴν χεῖρα] manibus, non cultris furcisque utebantur Veteres.

vs. 24. γέγραπται] sc. in V. T.

vs. 26. ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν] Alii, ut Kunoelius: quum coenassent et Judas Cariothensis jam discessisset; plerique: inter coenandum; erant enim plura fercula. Intelligitur hl. septimum ferculum, quo paterfamilias lotis manibus fusisque precibus de duobus panibus alterum fractum cum herbis amaris apponere solebat.

τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου (et vs. 28.) τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου] hoc (i. e. panis in frusta comminutus) est corpus meum: hoc (vinum poculo infusum) est sanguis meus. Pontificii perperam transsubstantiationem; Lutherani perperam oralem corporis et sanguinis Christi perceptionem et Calvinistae mysticam Christi cum his symbolis unionem huic loco intruserunt. Recte Zwinglius: hoc significat s. repraesentat corpus meum et sanguinem meum, quod et usus loquendi et rei natura necessario jam efflagitat, etiamsi non cum Boltenio, de Ammonio (Bibl. Theol. vol. 2. p. 399.), Stolzio (*Erläuterungen* fasc. 1. p. 236.), Eichhornio (*Allgem. Bibliothek* vol. 6. p. 659.), quod

admodum verosimile est, statueris, Jesum Syrochaldaica dialecto usum non nisi haec protulisse verba: דֵּין בִּסְרִי, דֵּין דְּמִי.

Cf. praeter alios aureum librum Dav. Schulzii: *Die chr. Lehre vom heiligen Abendmahle* etc. ed. 2.

vs. 27. *τὸ ποτήριον*] quod paterfamilias convivis porrigebat, poculum benedictionis.

vs. 28. *τὸ τῆς καινῆς διαθήκης*] i. e. quo novum foedus cum Deo sancitur. Exod. 24, 8.

Alii, ut Spencerus de legg. Hebr. 2, 3. §. 4. p. 614. censent, Christum respexisse morem antiquorum populorum, quo in foederibus novis feriendis sanguinem hauserint.

Alii ad sanguinem uvarum i. e. rubrum vinum respexisse; vid. Deut. 32, 14.

τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν] Alii: qui sanguis loco multorum (at id esset *ὑπέρ*) vel omnium (id esset *τῶν πάντων*) effundatur ad remissionem peccatorum.

Alii: qui in commodum multorum jamjam effunditur.

Sensus h. l. ex mente Fritzschii: Jesus id ex sua morte redundaturum profitetur, fore, ut nova religio, antiquata judaica, inducatur, multique homines peccatorum veniam consequantur (Eph. 1, 7. Coloss. 1, 14.).

vs. 29. *καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρός μου*] Schulthessius (male): recens regnum ingressus vinum bibam.

Alii (de Wett.): *neu*, *verklärt*, sp. restitutione illa omnium rerum in integrum; alii: eximium; alii: alio modo, *unter andern Umständen*; alii: de integro;

alii sub *βασιλ.* intell. regnum coeleste in coelo, (alii in terra,) morte ac resurrectione Christi stabiliendum. Jam Euthymius Zigabenus in Comment. *ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης* indicare dicit *τὸν μετὰ τὴν ἀνάστασιν καιρὸν, ὅτε ἔφαγε καὶ ἔπιε μετὰ τῶν μαθητῶν, ὃ καὶ αὐτοὶ ποιούμενοι τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ ἀπόδειξιν, ἔλεγον· ὅτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ* Act. 10, 41. Republica div. morte mea stabilita familiariter iterum vobiscum cibum capiam. Volkm. Reinhardus.

vs. 30. *καὶ ὑμνήσαντες*]de hoc hymno Buxtorfius (Lex. Talmud. p. 613.) haec habet: „הַלֵּל, hymnus *κατ' ἐξοχήν* appellant Judaei hymnum quendam, qui complectitur Ps. 113—118. Hymni hujus duas constituunt partes; prima continet Ps. 113. et 114.; altera reliquas. Primam partem

in festo paschatis recitare solent, antequam accumbant et vinum sumant; alteram post cibum sumtum, quando quartum et ultimum poculum biberunt, addita alia benedictione, quam בִּרְכַּת שִׁיר, benedictionem cantici vocant et incipit“ יְ יְהַלְלוּךָ, solemni item illa benedictionis formula פְּרִי הַגָּפֶן בָּרוּךְ בּוֹרֵא, benedictus sit, qui creavit fructum vitis etc. Et sic coenam paschalem claudunt.“

Alii, ut **Grotius**: Sicuti ad veterem gratiarum actionem Christus novam addidit suo instituto congruentem, ita de hymno fecisse credibile est. Fortasse ea ipsa in hymni modum dixit, quae Joh. 17. legimus.

vs. 31. *σκανδαλίζεσθαι*] hl. sorte alicujus ita offendi, ut ab eo deficias.

γέγραπται] Zachar. 13, 7. **Grotius**, aliique h. m. et quod dici solet quodque alicubi scriptum meministis: pastore percusso oves dispergentur.

vs. 32. *προάξω ὑμᾶς*] **alii**: vos praecedam; **Fritzschius** h. m. in Galilaea prior adero, quo si me secuti fueritis, ea re ducem recuperaveritis.

vs. 34. *πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι*] priusquam gallus cecinerit; **alii**: priusquam matutinum cantum absolverit, quia bis canere solet, media nocte et sub diluculum. hl. de cantu matutino.

vs. 36. *Γεθσημανῆ*] (e גַּת, torcular, et שְׁמָנָא, oleum) nomen villae s. praedii ad radicem montis olivarum ultra torrentem Kidron. cf. Joh. 18, 1.

vs. 37. *ἀδημονεῖν*] De hac Christi adaemonia, quam jam Celsus ludibrio habuit, varias contrariasque inter theologos obtinent opiniones.

Primum alii (**Goldhorn.** in l. **Tzschirner.** Magaz. vol. 1. 2., **Usteri** in Comment. crit.) synopticam; **alii** (**Bretschneid.** Probabil. p. 33 sqq. et **Theilius** in Wineri et Engelhardti Journ. crit. vol. 2. p. 359 sqq.) Johannis hac de re relationem; **alii** (Straussius vol. 2. p. 472.) utramque in dubium vocarunt.

Deinde diverso modo explicuerunt.

Alii (**Anselmus**) Jesum sensisse poenas cruciatusque Orci, ut ab iisdem nos in perpetuum liberaret.

Alii (**Calvinus**) gravissimos omnium peccatorum generis humani sensisse dolores.

Alii (**Olshaus.**) divinam ejus naturam humanam aliquamdiu quasi destituisse.

Alii (Lessius *christl. Religionsunter*. vol. x. p. 200 sqq.) expertum eum esse vim Satanae, qui numine permittente eum tentaverit.

Alii (Hieronymus ad h. l.; Vossius in harm. evang. ad h. l.) moerore ἀπιστίᾳ et σκληροκαρδίᾳ populi Judaici et tristi amicorum suorum sorte nato.

Alii (Paulus ad h. l.) de virium corporis animique defectu.

Alii (qui Jesum suam ipsius resurrectionem praedixisse negant, ut auctor fragment. Guelpherbyt., Eckermannus,) ad summam de felici rerum suarum successu desperationem referunt.

Alii (Thiesius in Comm.), hos Christi dolores, quippe quos nemo expertus sit, omnino explicari non posse opinantur.

Alii (jam Michaelis in l. Dogmat. ed. 2. p. 468 sqq. Hessius *Leben Jesu*. vol. 2. p. 342., Kunoel. ad h. l. Greilingius *Leben J.*, Reinhardus, *chr. Moral.* vol. 1. §. 132. etc.) psychologice de praesagio mortis crudelissimae ac ignominiosissimae, et quae eam antecesserunt calamitatum.

Caeterum quaecunque h. l. de summa Christi tristitia, de discipulis, quorum praesentia animum erigere cupit, de precibus, quibus numen potentissimum et sapientissimum adit, ut, si fieri possit, mortem (alii: hanc animi anxietatem,) averteret, de animo Christi, qui statim consiliis div. sese submittit, leguntur, et legibus naturae et moribus Christi ita conveniunt, ut in clarissima luce caecutiat necesse sit, qui ejusmodi locum spurium esse opinatur.

cfr. Schusteri *Beiträge in* Eichhornii *Bibl.* vol. 9. p. 1012 sq.
Flatti Magaz. fasc. 15. p. 175.
Bengelii Archiv. vol. 1. fasc. 1. p. 31.

vs. 38. περίλυπος — — ἕως θανάτου] i. e. animus meus afflictus, immo plane abjectus est, ita ut mortem jam perpeti videar; alii perperam: hac tristitia non nisi morte finietur.

vs. 39. τὸ ποτήριον τοῦτο] alii: calamitas, mors violenta, כּוֹס; alii: hic virium defectus; alii: haec anxietas, quae tanta erat, ut fere mortem afferret. Reinhardus.

vs. 40. οὕτως] hl. siccine, indignantis est.

vs. 42. πάλιν ἐκ δευτέρου] alii ἐκ δευτέρου ref. ad ἀπελθών; alii pleonasmum inesse statuunt.

Fritzschius: mi pater, si non potest hoc a me depelli, ut non id sustineam, tuae me voluntati adstringam. cfr.

Hoffmanni diss. quomodo singularis illa Jesu anxietas — ante mortem etc. sit explicanda etc. Lips. 1830.

vs. 44. ἀπελθὼν πάλιν] alii: πάλιν προσηύξατο ἐκ τρίτου, iterum preces fecit et quidem tertio, ut vs. 42. πάλιν ἐκ δευτέρου προσηύξατο.

vs. 45. καθεύδετε τὸ λοιπὸν καὶ ἀναπαύεσθε] (τὸ λοιπόν hl. est in posterum; non: interea, jam etc.) —

Alii (Chrysost., Elsn. (certe ex parte), Storr.), permissive: dormiatis, per me licet.

Alii (Kypk., Krebs., Win.) interrogative: dormitisne adhuc, quum urgeat fatum etc.?

Alii (Bez., Grot., Fritzsch.) ironice. Haud pauci tamen contendunt, ironiam ab hoc loco quam maxime esse alienam.

ἁμαρτωλῶν] cogita et Judaeos et Romanos.

vs. 47. ὄχλος πολύς] hl. homines de plebe, id quod vel ex armorum genere intelligitur. Aliter Luc. 22, 52. et Johann. 18, 3.

ἀπὸ τῶν ἀρχιερέων] alii (Kunoel.) subint. ἀπεσταλμένοι; alii ad ἦλθε referentes interpret. a summis sacerdotibus profecti.

vs. 50. Alii legunt ἐφ' ᾧ πάρει] alii: dic, quo consilio huc venisti? alii (Beng.): hoccine illud est, cujus caussa ades? Alii: l. ἐφ' ὃ πάρει! vetus sodalis, ad qualem rem perpetrandam ades! Sic Fritzsch.

vs. 51. εἷς τῶν μετὰ Ἰησοῦ] Joh. 18, 16. Petrum nominat, quia, ut multi opinantur, Matthaeus, Marcus et Lucas Petro adhuc vivo, Johannes autem Petro jam mortuo scripserit. Propter latrones Hierosolyma proficiscentes sicas vel gladios sub vestibus gestasse observat Kunoel.

τὸ ὠτίον] Grot., auriculam; alii (recte) aurem, quam haud pauci adhuc in capite haesisse opinantur.

vs. 52. πάντες γὰρ — — ἀπολοῦνται] Alii ut Euthym., Grotius: noli, Petre, consideratione ejus, quae mihi infertur, injuriae concitatior Deo praeripere ultionem. Levia enim sunt vulnera quae a te pati possunt. Stat enim rata sententia, crudeles istos et sanguinarios, etiam te quiescente, gravissimas Deo daturos poenas suo sanguine.

Alii: contra jus fasque est resistere magistratui et abstinendum ab omni vindicta privata.

Alii proverbialiter: quicunque gladium stringunt, gladio peribunt. Recte!

vs. 53. *πλείους* (al. leg. *πλείω*) *ἢ δώδεκα λεγεῶνας* (al. *λεγεώνων ἀγγέλους*).

ἀγγέλων] neque cum aliis ad militum numerum, quem duodecim legiones (np. 72. angelorum millia) effecerint, neque cum aliis ad duodecim apostolos referendum est, sed significat hl. ingentem angelorum copiam.

vs. 54. *ὅτι οὕτω δεῖ γενέσθαι*] Alii ref. ad *γραφαὶ* h. m. quae cecinerunt, haec ita fieri oportere.

Alii: nam sic fieri debet, np. ut comprehensus morti tradar.

vs. 56. *τοῦτο δέ κτλ.*] haec alii Jesu, alii Matthaei verba esse censent.

vs. 57. Paulo aliter rem exposuit Joh. 18, 13 sqq. et Luc. 22, 66.

vs. 58. *ἕως τῆς αὐλῆς*] aliis (ut de Wett.) palatium; aliis aula interior, quae erat prima pars aedium et circumdata splendidis palatii aedificiis. In hoc loco, qui ipse esset sub dio, homines orientales concilia agere solebant vid. Wahl. s. h. v.

Fabri, *Archäologie* p. 408 haec scripsit: *Angesehene Gebäude oder Paläste umgränzen gemeiniglich einen grossen viereckigen, oben offenen Hof, der dem Morgenländer unter einem fast beständig heitern Himmel zum Gastzimmer für grosse und bürgerliche Gesellschaften, wie bey Hochzeiten, oder Beschneidungen oder auch zum Saal für Versammlungen des Volks dient. So sind überhaupt alle Paläste und Häuser vornehmer und reicher Personen in der Barbarey, in Aegypten, Syrien, Persien, besonders in Jspahan, auch selbst das Serail zu Constantinopel angelegt.*

vs. 59. Lectiones h. in l. admodum variant, vid. Griesb. et Fritzsch.

ἐζήτουν ψευδομ.] recte monet Kunoelius: falsi testes illi non subornati erant a synedrio magno, sed undique excitabantur homines, qui (cupide) testimonium adversus Christum dicerent.

οὐχ εὗρον] alii: non invenerunt testimonia consona (*ἴσας μαρτυρίας* Marc. 14, 56.); alii (Grot.): falsi isti testes nullum crimen attulerunt, quod capitale esset s. ut Fritzsch. non invenerunt summi pontifices, np. falsa testimonia, quae ad Jesu supplicium ipsis idonea viderentur.

vs. 61. *οὗτος ἔφη. δύναμαι κτλ.*] Joh. 2. 19.

vs. 62. *οὐδὲν ἀποκρίνεις, τί οὗτοί σου καταμαρτυροῦσιν;*] Alii duplicem interrogationem, alteram post *ἀποκρίνεις*,

alteram post κατα. collocant, h. m. nihilne respondes? quid illud est, quod contra te testantur? Fritzschius: nihilne respondes, cur isti adversus te testimonium edant? = nihilne profers, utrum isti recte an perperam contra te testimonium dicant? de Wettius praefert Vulg. u. Nihilne respondes ad ea quae isti adversum te testificantur? (τί fortasse i. q. πρὸς ἃ statuens).

vs. 63. ἐσιώπα] quia ipsi persuasum erat, apud ejusmodi judices, qui ipsi necem destinaverant, omnem purgationem esse vanam.

vs. 64. τῆς δυνάμεως] hl. potentissimi, Dei. cfr. Knappii Script. var. arg. p. 39 sqq.

vs. 65. διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ] discidit pallium suum. Id fieri solebat et in luctu et indignatione, ut hl. Haud pauci negarunt, licuisse id summis pontificibus ob Levit. 10, 6. 21, 4. 10. At 1) ibi sermo est de luctu privato; 2) Casaubono (Exercitt. p. 526.) et Michaele (ad h. l.) monentibus Cajaphas tunc non in templo, sed domi versans nullas sacras discidit vestes; 3) haud semel idem de pontificibus legitur, ut 1 Macc. 11, 71. Joseph. B. J. 2, 15. 4 Sed notant Hebraeorum Magistri Pontifici Maximo id fuisse proprium, ut vestem ab inferna parte laceraret, cum a superna alii solerent. Grot.

ἐβλασφήμησε] sc. Messiam se falso professus, cui, Deo excepto, summa competit majestas.

vs. 66. ἔνοχος θανάτου ἐστί] Jus vitae necisque tunc erat penes Romanos; nam etiamsi in rebus sacris capitis damnare permissum erat Judaeis, tamen procurator latam sententiam confirmabat. Igitur etiam hl. erat judicium privatum.

Michaelis de judiciis poenisque capitalibus in Potti syll. vol. 4. p. 234.

Gurlittus, diatr. ad Joh. 18. Hambrg. 1805.

Alii censent apparitores, alii synedros ipsos Jesum ludibrio habuisse.

vs. 68. προφητεύειν] alii divinare (irrisionis caussa dictum); alii nominare eos, qui ipsi alapas inflixerint.

vs. 69. ἐν τῇ αὐλῇ] (alii leg. ἔξω ἐν τ. αὐλῇ quod Fritzsch. exterminavit) statuentes, synedros, damnato Jesu, in ipsas aedes Caiaphae se recepisse, aut synedros in ipsis aedibus Jesum damnasse et deinde in aulam sese contulisse, extra quam (ἔξω) erat Petrus.

μία παιδίσκη] i. e. janitrix. Graeci et Romani maribus, Hebraei etiam feminis utebantur

καὶ σὺ ἦσθα μετὰ Ἰησ. τ. Γαλ.] alii: tu quoque eras Jesu Galilaei discipulus;

alii: nonne tu quoque fuisti familiaris Jesu?

alii: tu quoque, opinor, cum Jesu eras.

Caeterum *τοῦ Γαλιλ.* alii hl. ad contemtum valere, alii (recte!) ad nominis usitatissimi discrimen arbitrantur.

vs. 70. *ἔμπροσθεν αὐτῶν πάντων*] sc. *τῶν ὑπηρετῶν τοῦ ἀρχιερέως*, vs. 58.

vs. 71. *ἐξελθόντα — εἰς τὸν πυλῶνα*] alii: quum exire vellet; alii: eum exeuntem; alii: quum egressus esset in vestibulum.

vs. 73. *ἡ λαλιά σου δῆλόν σε ποιεῖ*] dicuntur Galilaei sono utentes agresti literas quasdam, inprimis gutturales, male pronuntiasse.

vs. 74. *ἀλέκτωρ ἐφώνησε*] Permulti Judaeos gallos gallinaceos aluisse negantes aut de buccinatore singulas vigilias indicante, aut de clamore praefecti templi, qui sacerdotes ibi pernoctantes ad ministerium excitaverit, aut de gallo in aedibus Pilati vel in vicina quadam villa interpretati sunt, quos tamen satis superque refutarunt Bynaeus de morte Chr. 2, 6. 5.

Ligthfootus ad h. l.

Schoettgenius ad v. 34.

Schulzius in Exercitt. philol. Hagae 1774. etc.

Cap. XXVII.

vs. 1. *συμβούλιον ἔλαβον κτλ.*] (utrum synedri, Jesu morti addicto, ex aedibus Pilati somnum capturi domum reversi sint, quod alii negant, alii affirmant, certo dici nequit.) hl. consilium ceperunt, deliberarunt, ita, ut eum interficerent.

πάντες] sunt qui censeant, non omnes synedros cognitioni illi interfuisse, sed circa gallicinium demum reliquos convenisse.

vs. 2. *δήσαντες*] alii: vinctum jam antea (Joh. 18, 12.); alii: de integro vinctum abduxerunt.

Ποντίῳ Πιλάτῳ] qui Judaeae procurator (*ἐπίτροπος*), ordine quintus, missus a Tiberio a. 28. post Ch. N. per decem annos hoc munere functus est. Sedem suam habebat Caesareae, sed per festos dies Hierosolymis. Ob crudelitatem, qua in Judaeos, inprimis Samaritanos, saevierat, munere suo per Vitellium, Syriae praesidem, (cui procuratores in Judaea subditi erant,) privatus Viennam in Gallia

auxil missus est sub Cajo imperatore. cfr. Joseph. Arch. 18, 2. 3. et 4.

τῷ ἡγεμόνι] Sic tunc vocabantur proconsules (ἀνθυπατοί), propraetores (ἀντιστρατηγοί), qui inde ab Augusti aetate in provincias senatorias mitti solebant; tum qui ab eodem inde tempore in provincias caesareas mittebantur, legati Caesaris, πρεσβευταί vel etiam procuratores; denique qui in easdem provincias mittebantur procuratores (ἐπίτροποι s. διοικηταί). Hi erant aut equestris dignitatis aut libertinae conditionis et quemadmodum in provinciis majoribus reditus Caesaris curabant, ita in minoribus interdum imperio proconsulari praediti judicia exercebant atque jus vitae necisque, ut Pilatus. cf. Fischeri Proluss. p. 17. Wineri *Realw.* et Wahlii Cl.

vs. 3. τότε] quum apparitores in eo essent, ut eum ad Pilatum abducerent, ex quo colligere poterat, Jesum supplicio affectum iri.

ἀπέστρεψε] alii: reddere voluit; alii (recte): reddidit.

vs. 5. ῥίψας τὰ ἀργύρια ἐν τῷ ναῷ] argento illo i. e. triginta siclis in templo abjectis discessit.

Alii ἐν τῷ ναῷ ref. ad eam templi partem, ubi senatores convenire solebant (לִשְׁכַּת הַגָּזִית), ut Grotius. — At ibi tunc minime convenisse videntur (vs. 2.).

Alii, ut Michaelis, Judam in sacerdotum vestibulo (ἅγια) spectantibus sacerdotibus, siclos illos projecisse (np. ad omnium rerum desperationem adactus leges, quae aditum ad h. l. interdicebant, non curabat).

Alii, ut Kypkius p. 137, ἐν τῷ ναῷ vertunt: prope, apud templum, et cogitant, Judam, ut facinus quodammodo expiaret, ad gazophylacium referre voluisse.

Alii, ut Fritzschius, intell. in universum eam templi partem, quam Judae adire licuerit.

ἀπήγξατο] Aliter Act. 1, 19. Quomodo haec repugnantia tolli possunt?

alii (Heins.), ref. vel ad morbum ex magno animi moerore ortum vel, (Grot.), ad gravissimum conscientiae exulceratae tormentum;

alii (Bolten.): ex alto se praecipitavit;

alii (Salmasius et Anonymus in Schmidtii Bibl. t. 2. p. 246.), e mente Matthaei Judam suspendio, e Lucae praecipitio voluntario periisse credunt, id quod uterque ex duplici tunc temporis fama hauserit (sic etiam Heinrichsius ad Act. 1, 18.);

alii (Wakefield.), in Silva critica Cantabr. 1789.), Judam dysenteria e moerore gravissimo orta, periisse (πρηνὴς γενόμενος Act. 1, 18. etc.);

alii (Albert. in Observatt. ad Act., Erasm., Castal.), Judam laqueo sive fracto sive malè fixo ex alto in saxum aut acutum truncum aut alias in res delapsum ruptum esse (similiter Gronovius in exercit. de morte Judae. Lugd. Bat. 1703, Judam laqueo suspensum in voraginem saxis asperam praecipitatum ruptum esse);

alii (Pircaeus, Vorstius, Fischerus, Perizonius (de morte Judae etc. Traj. ad Rhen. 1702.), Oedmannus (*vermischte Sammlungen T. d. Naturkunde* fasc. 5. p. 113.) omnino de morte, quam sibi ex desperatione omnium rerum consciverit.

hl. laqueo vitam finivit angore compulsus (μεταμεληθείς). Caeterum bene conspirant, si, monente jam Casaubono (c. Baron. Exercitt. 16. c. 69.) aliisque, Matthaeum initium, Lucam rei exitum narrare statuis.

vs. 6. εἰς τὸν κορβανᾶν] hl. thesaurus sacer i. e. cistae in atrio mulierum, ubi recondebantur pecuniae vel sponte vel ex lege oblatae = γαζοφυλάκιον (quod Fritzschius negat.).

vs. 7. τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως] Alii, ut Grotius, agrum, e quo figuli argillam eruebant, qua exhausta, non mirandum esse, eum tam parvo venisse pretio. — At tunc leg. esset: τῶν κεραμέων.

Alii: agrum figuli, quem nostis. Recte.

τοῖς ξένοις] alii de proselytis; alii de gentilibus; alii, ut Grot., Kuneel., Fritzsch., de Judaeis exteris, qui Hierosolymis diem obierint.

vs. 8. ἀγρὸς αἵματος] i. e. cruore s. caede partus. Act. 1, 19.

vs. 9. τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου] quia hic l. non exstat in Jeremiae, sed Zachariae vaticiniis (11, 12. 13.);

alii, nomen Jeremiae aliena manu additum esse perhibent, ut Flacius, Chytraeus, uterque Calixtus, Dorschaeus, Calvinus, Beza etc.

alii, ultimum Zachariae caput a Jeremia scriptum esse opinantur;

alii, lectionem hanc in τὸ ῥηθὲν διὰ Ζαχαρίου, s. διὰ τοῦ προφήτου mutarunt;

alii, ut Elsnerus, aut ad Jerem. 32, 8. (sed frustra), aut ad apocryphum Jeremiae, ut Origenes, provocant (quale etiam exstat et arabice, coptice et sahidice, verum

sine dubio fictum), aut Judaeos illum Jeremiae locum delevisse censent;

alii rectius, Matthaeum memoria lapsum esse credunt, l. Jerem. 18, 2. seductum. Sic jam Augustinus, Paulus ad h. l. aliique.

τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, ὃν ἐτιμήσαντο] i. e. pretium aestimati vici (ibi de propheta, hl. de Jesu), quem aestimarunt homines (np. synedri. 26, 15.) (alii: quem Israelitarum nonnulli (τινὲς ἀπὸ υἱῶν Ἰσρ.) aestimarunt i. e. synedri:) alii (ἔλαβον — ἀπὸ τ. υἱ. Ἰ. copul.) sumserunt ab Israelitis i. e. Juda. Sic Heumannus, Fritzschius.

vs. 11. σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τ. Ἰ.] ex mente Pilati haec verba significare regem Judaeorum, ex mente Christi, Messiam, interpretes monent.

vs. 14. οὐκ ἀπεκρίθη] sc. ob accusatorum cupiditatem et criminum vanitatem.

vs. 15. κατὰ δὲ ἑορτὴν εἰώθει κτλ.] alii feriis quibusvis; alii festo quoque paschali.

Hunc morem facinorosum in libertatem vindicandi feriis paschalibus, alii censent fuisse antiquissimum, in memoriam liberationis ex servitute Aegyptiaca introductum et a Caesaribus servatum;

alii repetunt a Romanis, qui in lectisterniis captivos dimiserint, quam gratiam Augustus concesserit Judaeis (Grot.);

alii hunc morem in Palaestina, quum Syriae regibus pareret, invaluisse, quem Romani, ut Judaeis gratificarentur, intactum reliquerint.

At de tota hac re certi quid dici nequit.

vs. 16. Ἰησοῦν Βαραββᾶν] hanc lect. haud negligendam esse; verosimile enim esse, Pilatum hunc latronem, qui fortasse pro Messia se vendiderit, et nomine et re Jesu similem, sine dubio ad Jesum irridendum appellasse, conjecit de Wett.

vs. 17. συνηγμ.] int. synedros et populum (?).

vs. 18. ᾔδει γάρ] tum fama, tum ipsa re. i. e. cupiditate accusatorum et modestia Christi.

vs. 19. ἐπὶ τ. βήματος] in tribunali ante praetorium.

ἡ γυνὴ αὐτοῦ] cujus nomen Proclae s. Claudiae Proculae fuisse tradunt, secundum Evang. Nicodem. c. 2. θεοσεβής et Jesu amicissima fuit. Niceph. h. eccles 1, 30.

πολλὰ γὰρ ἔπαθον] alii totum hunc locum pro spurio habent cfr. Eichhornii Repert. t. 9. p. 139.;

alii uxorem Pilati et multa de Jesu moribus, factis etc. et de internecino Judaeorum in eum odio jam antea audivisse;

alii eam de salute mariti sollicitam somnium finxisse.

Caeterum constat ex Tacit. Ann. 3, 33. 34. al. magistratus inde ab Augusti temporibus in provincias uxores secum duxisse.

vs. 22. *σταυρωθήτω*] ut Jesus ex lege Romana in crucem ageretur, synedri nequissimi rerum novarum laesaeque majestatis Caesaris eum accusarunt.

vs. 24. *ὅτι οὐδὲν ὠφελεῖ*] alii: hoc se nihil juvare; alii: se nihil proficere.

λαβὼν ὕδωρ ἀπενίψατο τὰς χεῖρας] Alii (Bez., Wetsten.) ref. ad lotiones flagitiis commissis jam antiquitus usitatas.

Alii opinantur Pilatum imitatum esse morem Judaeorum. Hujus, inquit Casaubonus, consuetudinis apud Graecos vel Romanos nullum reperio vestigium; itaque puto, Pilatum inter Judaeos versantem eorum instituta et consuetudinem in hac parte esse imitatum. Nam quod afferunt docti viri ex Sophoclis interprete, id huic loco non convenit. Illi enim lavabant manus, ut scelus a se patratum quoquo modo expiarent: Pilatus ut innocentiam suam testatam faceret.

Igitur significavit Pilatus hac lectione, esse se *ἀθῷον ἀπὸ τοῦ αἵματος*.

vs. 26. *φραγελλώσας παρέδωκεν*] flagellis caesum (ut apud Romanos servi) tradidit sc. militibus, ut in crucem ageretur. Flagellis autem Pilatus Christum ceciderat, ut animos Judaeorum ad commiserationem flecteret, et species aliqua juris adhiberetur injuriae (virgam, ait Cicero, magis in tormento esse quam in suppliciis,), non ludibrii caussa.

vs. 27. *οἱ στρατιῶται*] hl. praetoriani milites, qui tunc in palatio excubias agebant.

εἰς τὸ πραιτώριον] hl. regia Herodis in superiore urbis parte magnifice exstructa, e qua aditus patebat in arcem Antoniam, templo junctam; quotiescunque enim procuratoribus Judaeorum, qui Caesareae habitabant, Hierosolymis versandum erat, hocce Herodis palatium sibi deligebant domicilium. Uti Caesareae, ita etiam Hierosolymis extra praetorium erat tribunal.

vs. 28. *χλαμύδα κοκκίνην*] paludamentum, sagum, quale imperatores, duces, milites gestabant.

vs. 29. *ἐξ ἀκανθῶν*] alii, ut Paulus, rhamnum; alii, ut

Clemens, rubum; alii, ut Michaelis, acanthum (ἀκάνθων); alii, ut Budaeus, acaciam etc. intelligunt; hl. e. frutice spinosa.

ἐν τῇ δεξιᾷ] sc. ἔθηκαν, non: ἐπέθηκαν.

vs. 32. ἐξερχόμενοι] sc. urbe; nam extra urbem apud Romanos, Judaeos (Num. 15, 35. 36. 1 Reg. 21, 13.) sumebantur supplicia. —

Κυρηναῖον] ortus Cyrene, urbe capitali Libyae pentapolitanae in Africa, ubi ingens habitabat Judaeorum multitudo, qui aut Hierosolymis fixam sedem habebat (Luc. 23, 26.) aut Hierosolyma venerat, ut ferias paschales ibi ageret. Marc. 15, 21. dicitur pater Alexandri et Rufi.

τοῦτον ἠγγάρευσαν κτλ.] hunc coëgerunt, ut crucem (non: ut ex parte Christo onus levaret) portaret. Grotius, Heumannus aliique conjecerunt, Judaeos, qui probe scirent, hunc Simonem esse e Jesu asseclis, milites instigasse, ut crucem in se reciperet. Videtur id potius casu fortuito factum esse (Marc. 15, 21. Luc. 23, 26.). Jesus vigiliis, contumeliis etc. viribus exhaustus non par erat sustinendo oneri, quod alias malefici usque ad locum supplicii portare cogebantur.

τὸν σταυρόν] Crux palus erat rectus (literam *T* referens), cujus in superiore parte lignum erat transversum; in media parte lignum erat infixum, cui miser insidebat. Pendere solebant, usque dum fame, siti doloribusque enecti putrescerent aut a corvis aliisque animalibus devorarentur (Horat. epp. 1, 16. 46. pasces in cruce corvos). Plerumque a militibus in ascendendo levabantur (hinc tolli in crucem). Caeterum pedes, non manus clavis affigebantur.

cfr. de forma crucis

Lipsius, de cruce. Amstel. 1671.

Salmasius, de cruce p. 272 sq.

Sagittarius, hist. pass. et mortis Chr. Jes. 1669.

Paulus in Comm., qui egregie rem exposuit.

Henckius de eo, quod inprimis ignominiosum est in supplicio J. Chr. Helmst. 1785. (nam crux erat supplicium servorum, latronum, sicariorum, seditiosorum idque crudelissimum).

vs. 33. Γολγαθᾶ] (hebr. גֻּלְגֹּלֶת, chald. גֻּלְגַּלְתָּא) alii putant locum nomen accepisse a calvis maleficorum ibi interfectorum, cui opinioni etiam favet Kuinoelius, Fritzschius; alii a colle formam referente capitis humani, ut Relandus (p. 860.). Caeterum hic locus extra urbem fuit, minime intra urbem, ubi hodie falso montem Calvariae monstrare volunt. cfr. Korte, *Reise nach dem gelobten Lande* p. 210 sq.

ὅ ἐστι κρανίου τόπος vel *ὅς ἐστι κρανίου τόπος*] est vera lectio, quia ex hac et simplicissima et brevissima reliquae v. c. *ὅς ἐστι καλούμενος* s. *λεγόμενος* s. *μεθερμηνευόμενος* etc. originem traxisse videntur.

vs. 34. *πιεῖν ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον*] bibendum ei dederunt poscam absynthio (Marc. 15, 23. myrrha) temperatam. Solebant cruci affixis porrigere vinum herbis ebrietatem afferentibus mixtum, quo minus dolorem sentirent, qua de caussa Christus, qui sui sibi conscius fatum subire voluit, potum recusavit.

vs. 35. *σταυρώσαντες κτλ.*] hi sunt quatuor illi Romanorum milites carnificis officio functi. Caeterum Jesus sine pedum perforatione, sine corona e spinis confecta, at nudus, ut mos erat, in crucem actus est, recte monente Paulo ad h. l. Nam quod haud pauci de pedibus transfixis memorant, invictis rationibus non potest probari. Primum ab Evangelistis id non extra omne dubium positum est. Luc. 24, 39 sqq. Joh. 20, 25 sq. Tum non patet, quomodo Jesus statim post resurrectionem pedibus valuisset, quod uno quasi ore Apostoli tradunt. Porro apud Veteres nullus huius rei exstat locus; nam Plaut. Mostell. 2, 1, 13. de inusitata poena agit. Deinde secundum Socrat. h. e. 1, 17. Helena imperatrix non nisi clavos, quibus manus Christi perforatae erant, invenisse legitur.

Igitur Justin. M. Dial. c. Tryph. p. 324. Apol. 2. p. 76. Tertull. adv. Marc. 3, 19. Martyrologia et Tragoedia illa *Χριστὸς πάσχων* (quae spuria esse videtur,) ob l. Ps. 22, 17. rem alio modo interpretati esse videntur.

cfr. tamen

Bähr in l. Heidenreichs et Hüffels *Zeitschrift* 2, p. 309 sqq.

διεμερίσαντο κτλ.] ex more Romano. Milites enim supplicii exactores sontium spolia sibi vindicabant. Grotius.

vs. 36. *καὶ ἐτήρουν αὐτόν*] Petron. Satyr. p. 389. Miles qui cruces servabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret.

Wassenberghius in diss. de trajectionibus N. T. praemissa scholis Valkenarii in libros quosdam N. T. vol. 2. p. 31. alium rerum ordinem commendavit, np. hunc: vs. 34. 37. 38. 35. 36. 39. At in nullis exstat codd. et Matthaei ordo et simplex est neque quidquam habet obscuritatis.

vs. 37. *τὴν αἰτίαν κτλ.*] i. e. *γράμματα τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως δηλοῦντα*; caussam poenae aut per praeconem aut per titulum significare solebant. Secundum. Luc. 23, 38.

titulus scriptus erat hebraice propter indigenas, graece propter advenas, latine propter Romanos.

vs. 38. δύο λῃσταί] asservati ad hoc tempus paschale, ut quam maxima hominum frequentia punirentur (Deut. 17, 12. 13.) atque a malefactis alios avocarent.

vs. 39. παραπορ.] die fasto an nefasto?

κινοῦντες τὴν κεφαλήν] quassantes caput, irrisionis caussa cf. Job. 16, 4. Ps. 109, 25. Jes. 37. Sir. 12, 18.

vs. 42. ἄλλους ἔσωσεν] alii (Kunoel.): Messiae personam agere voluit; alii ref. ad miracula.

καὶ πιστεύσομεν ἐπ' αὐτόν] haec lectio ut difficilior praeferenda est l. αὐτῷ et ἐπ' αὐτῷ πιστ.

vs. 43. εἰ θέλει αὐτόν] alii: si eum amat; alii h. m. εἰ θέλει αὐτὸν ῥύσασθαι.

vs. 44. καὶ οἱ λῃσταί] aliter rem exposuit Luc. 23, 39 sqq., quam discrepantiam alii alio modo tollere conati sunt, v. c. Beza et Grotius dicentes nomina pluralia haud semel pro singulari usurpari.

τὸ δὲ αὐτὸ — ὠνείδιζον] Fritzschius: idem vero etiam latrones fecerunt, nempe ei conviciati sunt. Alii: iisdem conviciis eum prosciderunt etiam latrones.

vs. 45. σκότος ἐγένετο] hl. tenebrae, quae motum terrae, ut saepissime, praecedere solent; minime de solis defectione, quae paschali tempore i. e. plenilunio locum habere non potest.

ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν] alii: super universam Palaestinam; alii: per universum orbem Romanum (Grot.); alii: super totum orbem terrarum.

vs. 46. ἠλὶ κτλ.] (plurima chaldaice) Ps. 22, 2. Alii (de Wett.) judicant, conscientiam Dei in animo Jesu per brevissimum momentum turbatam esse, ut 26, 39.

Alii (Fritzsch.): mi Deus, cur me in tanta mala conjecisti, quae patienter ferre non videar?

Alii: noli me diutius tam graves perferre dolores, jube me mori (Kunoel.).

Alii, Jesum in simili, qua psalmista, conditione totum hoc carmen ad se accommodasse seque etiam hac ratione Messiam (de quo h. Ps. intell.) declarere voluisse.

Alii (Schleiermach.), non desperantis, sed dolentis verba esse: cur me in opere meo perficiendo destituis (np. praematura morte)?

vs. 47. τινὲς δὲ — — ἔλεγον] Aliis sunt milites Romani, qui neque linguam chaldaicam callebant neque ullam Eliae prophetae habebant notitiam. Plerique intell. Judaeos, qui hanc Christi vocem in ludibrium verterint. cf. de Elia 16, 14. Grotius Hellenistas intell., qui quum Hebraea verba non intelligerent, Eliae nomen sibi notum audire se existimabant.

vs. 48. εἷς ἐξ αὐτῶν] cf. v. 47. alii int. Judaeum; alii Romanum militem.

ἐπότιζεν αὐτόν] sc. ut dolores levaret, non irridendi caussa, ut Kunoelius.

vs. 50. πάλιν κράξας] voc. πάλιν auctoritate aliquot Cdc. Fritzschius delevit. In plerisque tamen exstat et referri potest ad vs. 46.

ἀφῆκε τὸ πνεῦμα] animam efflavit, mortuus est. Notissimum est alios statuere veram mortem, alios syncopen. De his ex nostra quidem sententia Ven. Paulus rem optime exposuit; quare, quum non omnes ejus Comment. ad manus habeant, potissima huc transferre liceat. Dicit autem vol. 3. p. 810. haec: *Der Labetrunk beförderte* (Joh. 19, 30.) *das Hinüberschlummern des äusserst erschöpften Leidenden, so wie oft Sterbende, wenn sie eben noch bei der brennenden innern Hitze etwas erfrischendes genommen haben in die Auflösung ihrer Kräfte übergehen. — Dieses Lautrufen, wenn es gleich viele Anstrengung der erstarrenden Muskeln gekostet haben mag, zeigt, dass in diesen Augenblicken J. bey weitem noch nicht bis zum völligen Sterben erschöpft war. — Das Allmählige dieses Hinscheidens wird dadurch begreiflich, dass Gekreuzigte, da sie nur an den Händen angenagelt waren, nicht durch grossen Blutverlust, sondern, weil sie an allen Gliedern unbeweglich waren, meist durch ein von aussen sich nach und nach bis in die innern Theile verbreitendes Erstarren der Muskeln, Adern, Nerven* etc. *sterben mussten. — Wer nur Eine Stunde in einer solchen bewegungslosen gespannten Stellung bleiben müsste, würde die Empfindung in den äussern Gliedern sehr gehemmt und einen sehr verminderten Blutumlauf fühlen. Wird dann die Stellung nicht geändert und durch neue Bewegung der Umlauf der Säfte hergestellt, so steigt die Erstarrung, aber nur allmählich, bis auf den höchsten Punkt, bis zur Hemmung der Reizbarkeit des Herzens. Hierüber mögen Arzneikundige sprechen. Der fromme Arzt* G. G. Richter (de morte Servatoris in cruce. Gotting. 1757.): „Ultro vitam posuit Joh. 10, 8. Posuit cum magno clamore, qui morientium in naturali et ultimo virium deliquio non est. Crucis illa vis non erat, si vel infirmiores

respicias, tam cito exstinguendi. Ex martyrologiis constat, nonnullos 3, 4, quin et novem dierum intervallo in cruce vixisse, relictos autem plerosque, nisi judicis gratia sepulturam aliquando concessit, donec sole et pluvia corrupti pedetentim tabe diffluerent et tunc avibus, quae viventes non invadunt, putri halitu allectis in praedam cederent. (J. Lipsii de Cruce l. 2. c. 12. Haerebant in cruce lenta morte peremti: ut corvos pascerent. Positi custodes, ne quis — — detraheret, impediebant. Sueton. Aug. c. 13. Aspere Augustus respondit alicui sepulturam a morte roganti, in volucrum potestate eam fore. Interdum pretio vendiderunt sepeliendi potestatem, quod Verri Cicero objecit — —). Magna parte lento perierunt sanguinis stillicidio, siti (fame) et atrocissimorum dolorum ad convulsiones crescente saevitia. *Ein andrer Arzt*, Valent. Henr. Vogler in Physiologia historiae passionis J. Chr. (Helmstad.) *leitet deswegen den schnellen Tod Jesu von dem innern Seelenkampfe ab. Er setzt voraus einen* affectus vehentissimus, insuper non momentaneus, sed diutius durans — —. Alias enim, nisi ipsa constitutio et sanguinis et calidi innati et cordis maximam vim fuisset passa, non potuisset intra paucas aliquot horas exspirare servator. *Weil der schnelle Tod Jesu durch dieses nicht hinreichend erklärt schien*, so *nahmen manche Theologen eine übernatürliche Beschleunigung desselben an.* cf. J. Rudolph. Kiesling de caussis acceleratae J. C. in cruce mortis non mere humanis, sed potius divinis. Erlang. 1767. — C. Fr. Ferd. Gruneri diss. de J. Chr. morte vera non syncoptica. Jen. 1805. (ed. 2.): Noverat Christus instans et inevitabile fatum; hinc summa tristitia, angore ac motu animi gravissimo ita perculsus est, ut inter preces ardentissimas sudore sanguineo diffluenet. (*Nota:* non refert, quali forma fuerit iste humor; satis est eum large et effuse profluxisse indeque debilitatem corporis summam et ortam et relictam fuisse.). Neque opus est, ut quae naturaliter accidere solent atque explicari possunt, miracula esse dicas — —. Chr. hinc fessum ac viribus vehementer confectum futuris malis facilius succubuisse a vero propius abest — — p. 20. pugnis ac palmis contusus, corona spinea (e rhamno) in ludibrium cinctus, nudus et ad columnam adstrictus caeditur — — loris et flagris — — Quae cum essent aculeata, taxillata et officulis catenata — — (Ulpian. de poenis l. 3. Philo in Flacc. p. 755 sqq.) — — consequens est, ut Chr. nostrum, fame ac vigiliis lassum, ex vulneribus crebris aegrum et a sanguine vacuum summa teneret debilitas. Auxit — — legalis crucis gestatio crudos cutis lacerae dolores attrivitque ulterius vires. Denique perfecit malum crux ipsa erecta, cui crudeliter adstrictus et affixus erat, clavis per manus actis, pedibus fune constrictis.

Hinc vehentissime exacerbati sunt dolores et ad omne corpus diffusi; hinc post haemorrhagiam loca sugillata, inflammata et in gangraenam prona; hinc magna circuitus sanguinei turbatio; hinc immensa sanguinis ad pulmones et cor congestio facta, eaque, ni omnis fallor, summae anxietatis — — effectrix fuit, quam clamore magno prodidisse videtur, illico mortuus. Haec vero — — ad crucis supplicium quidem pertinent, sed mortem citam non adferunt (solebant enim miseri per plures dies scabello insidere et crudelissimae poenae supervivere.). Quaerenda (!) ergo est alia subitae et inopinatae mortis causa, syncope scilicet, qua sopita velutique exhausta vitae vis, quin omnis vita abolita visa est — —. Debilitas summa praeit, lipothymia incipit, syncope sequitur, mors ipsa demum clausulam malorum subitam facit. Quam mortem si dixeris cum medicis apparentem vel opinabilem, per me licet. Neque enim, qui syncope gravi pereunt, illico pro mortuis habendi sunt; neque Christus noster sic omnem vitam posuisse putandus est, neque ex clamore forti ad vitalis virtutis constantiam et magnitudinem bene concludere licet, cum, quibus cor ex palpitatione oppressum et suffocatio in propinquo est, haud raro ejulare et clamitare prae dolore soleant. Exspiravit ergo Chr. syncope tentatus, quoad adspectum (Matth. 27, 50. Marc. 15, 37. Praeclare hac de re Arist. hist. anim. 3, 19. t. IV. p. 98. ed. Lugd. Si multum sanguinis effluat, anima deficit, si nimium, vita interit); hinc crurifragio — — pepercit centurionis misericordia. Sed quam maxime falsus est C. T. Dammius (*Vom histor. Glauben* t. 2. §. 15.), dum hinc ad probabilem (simulatam?) mortem et clam applicata medicinalis artis praesidia concludere ausus est. Silet historia sacra neque facile mors, quae syncopen sequitur, instrumentis vitae integris, ultra 24. horas extenditur, recte monente Eschenbachio in scriptis medico — biblicis. Rostoch. 1779.₈p. 128. n. 7. (Quamobrem cum in syncopticis adhuc sanguis fluere pergat (ut Joh. 19, 34.), etiamsi paulo lentius, suasor est in Obss. anat. chir. med. nr. 21. 23. p. 178., ut incisione aperiatur arteria aliquam diametrum nacta vitae sc. explorandae causa. Solent autem verae reviviscentium historiae intra unum alterumque diem consistere, v. G. H. Velschii Sylloge Cur. 100 p. 67 sqq. Fabulae maximam partem sunt, quas post triduum vel hebdomada factas narrant J. J. Bruhier *v d. Ungewissheit der Kennz. des Todes*. Lips. 1754. et J. P. Bringkmann *in l. Beweis d. Möglichkeit, dass einige lebendig begraben werden*. Düsseld. 1771.).

Da die Seitenwunde erst später erfolgte, so sind die oben citirten u. andere Aerzte allerdings dafür, dass in diesen Momenten der Tod Jesu noch in Ohnmacht war. Jam vero

inquit Grunerus p. 22., Christ. intra biduum vel triduum revixit, post vulnus grave (?) atque syncopen a debilitate ac haemorrhagia copiosissima (?) factam, egressus e loco saxoso et frigidissimo, in quo sanguis subito sisti atque congelare debuit. Hinc satis bene ac apte rei dixit Eschenbachius: Salvator non apparenter, sed vere mortuus est. — *Weitere* Data *zum eignen Urtheil über die Thatsache sind:* a. *ungefähr* 30 *bis* 38 *Stunden nach seinem Tode hatte sich Jesu Auferstehung manifestirt:* b. *Der durch Marter, Wunden und Erstarrung entseelte Leichnam war nach gestatteter freier Abnahme vom Kreuz — — in Leinwand gehüllt und reichlich mit flüssigen Specereyen umgeben worden.* Joh. 19, 39. 40. c. *Verschlossene Höhlen, wie Keller* etc. *sind im März und April eher warm als kalt und können eine für die allmählige Auflösung solcher Reizmittel passende Temperatur haben.* d. *Die Sabbathruhe hinderte, dass nicht schnelle und übereilende Einreibungen der Einbalsamirenden der Rückkehr der Empfindung schädlich werden könnten, welches insofern zu bemerken bleibt, als eine allzu schnelle Irritation bey Synkoptischen tödtlich werden kann. Diese ist ohnehin in einem Körper, der ziemlich viel Blut durch Geisselung u. Kreuzigung verloren hatte, vermindert.* e. *Niemand kann vergessen, dass eben dieser seit kurzer Zeit äusserst angegriffene, und als Organisation eines solchen Geistes wahrscheinlich fein fühlende Körper erst ein Alter von etlich und* 30 *Jahren hatte und weder durch Ausschweifungen noch Leidenschaften geschwächt war.* f. *Von der Möglichkeit, zugleich aber auch von der grossen Schwierigkeit, dass Gekreuzigte wieder hergestellt werden könnten, überliefert* Joseph. contr. Apion. p. 1031. *ein Beispiel.* *πεμφθεὶς ὑπὸ Τίτου Καίσαρος — εἰς κώμην τινὰ Θεκώαν — εἶδον πολλοὺς αἰχμαλώτας ἀνεσταυρωμένους καὶ τρεῖς γνωρίσας συνηθεῖς μοι γενομένους ἤλγησα τὴν ψυχὴν καὶ μετὰ δακρύων προςελθὼν Τίτῳ εἶπον. Ὁ δὲ εὐθὺς ἐκέλευσεν καθαιρεθέντας αὐτοὺς θεραπείας ἐπιμελεστάτης τυχεῖν. Καὶ οἱ μὲν δύο τελευτῶσι θεραπευόμενοι· ὁ δὲ τρίτος ἔζησεν.*

Porro invictis argumentis probari nequit, vulnus illud in latus alte descendisse ac letiferum fuisse. Denique verba: *εὐθὺς ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ* dubiae sunt interpretationis.

Herderus (*Von der Auferstehung, als Gl. Gesch. und Lehre. Riga* 1794.) haec habet. p. 173 sqq. *Es wäre also auch sehr unpassend, wenn man den gehässigen Namen Scheintod* (simulata mors) *hier anbrächte. Vor göttlichem und menschlichem Gerichte war Christus gestorben. — — Sein Leib war begraben. Mich dünkt an diesem* consummatum est *können wir uns begnügen und der Vorsehung überlassen wie sie ihn erweckt habe. Ohne Zuthun der Menschen*

geschah es gewiss. — Ist nach der Behauptung der Physiologen das Kriterium des Todes so ungewiss, dass es nur in der äussersten Folge desselben, der wirklichen Auflösung des Körpers sich unwidersprechlich zeigt; so mögen die Physiologen das unter sich ausmachen. Uns sagen die Apostel deutlich, Christus habe die Verwesung nicht gesehen. Gott konnte es nicht zugeben, dass seinen Auserwählten die Verwesung nur berührte. — Ist Tod die Lösung des Bandes des Leibes und der Seele und das Aufhören ihrer den Leib belebenden Kräfte, so sprach Christus: in deine Hände befehl ich meinen Geist! (animae magnae prodigus!). — *Er verschied, er athmete aus; — Aeusserst kindisch wäre es, den Aposteln Vorwürfe zu machen, dass sie die Semiotik nicht besser verstanden, oder dem Nikodemus, dass er, statt seiner Myrrhen u. Aloen bey hundert Pfunden, nicht lieber die Rettungsmittel der heutigen medicinischen Policey angewandt habe.* — — Plura vide apud Kunoel p. 778.

Suskind, *Magaz. f. Dogmatik* fasc. 4. p. 158 sqq.

vs. 51. *καταπέτασμα*] (פָּרֹכֶת), interius velum, quo velatum erat Sanctum Sanctorum; aliud erat exterius, *κάλυμμα* (מָסָךְ), quod ad introitum templi Sanctum ab atrio separabat. Loesnerus.

ἐσχίσθη εἰς δύο] (לִשְׁנַיִם) Alii, terrae motu velum aut vetustate tritum (ut Kunoelius) aut nimis intentum (ut Paulus) scissum esse contendunt.

Alii, ut Fritzschius, fieri potuisse negant Matthaeumque illud miraculum a reliquis diserte distinguere.

de Wettio symbolum est aditus ad Deum patefacti. Hebr. 8, 8.

vs. 52. *ἁγίων*] Alii pios Christianos; alii (recte) pios Judaeorum majores intelligunt.

vs. 53. *μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ*] (quae verba alii c. *ἐξελθ.* alii c. *εἰςῆλθον* conjungunt.)

Alii (cf. Eichhornii Repert. t. 9. p. 99. Baueri Bibl. Theol d. N. T. p. 366.) et haec verba et vs. 52. et 53. pro spuriis habent, quos refutavit Gersdorf. in l. l. p. 149.

Alii, ut Fritzschius: postquam eos Jesus in vitam restituerat, ingressi sunt etc. Sic jam Russius p. 1334.

Alii: post ejus resurrectionem; nam Christus dicitur *ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν*, 1 Cor. 15, 20. Col. 1, 18.

Denique haud pauci statuunt, aut hos mortuos hominibus in somniis visioneque apparuisse, aut ex opinione Judaeorum

omnes in Palaestina mortuos aetate Messiana primum in vitam revocandos fuisse; aut ad ornatum oratorium referunt, ut auctor significaret, quantus vir vita excesserit atque in vitam revocatus sit (51—53.).

Cfr. Lightfootus, Bereschit R. sect. 96. Cur patriarchae tantopere desiderarunt sepeliri in terra sancta? Resp. Quia, qui in illa terra moriuntur, primi reviviscent in diebus Messiae et annos Messiae comedent.

Liv. 21, 62. Multa prodigia facta aut, quod evenire solet, semel motis in religionem animis, multa nuntiata et temere credita sunt — — in agro Amitermino multis locis hominum specie procul candida veste visos nec cum ullo congressos. — — 24, 10. Hadriae aram in coelo speciesque hominum circum eam cum candida veste visas esse.

vs. 54. *ὁ ἑκατόνταρχος κτλ.*] centurio, supplicio praepositus et militibus qui cruces servabant (Kunoel.).

ἀληθῶς θεοῦ υἱὸς ἦν οὗτος] aliis est Deo carissimus; aliis Messias; aliis semideus, heros; centurio enim audiverat, Jesum coram synedriis ac Pilato se *υἱὸν τ. θ.* esse professum.

vs. 55. *διακονοῦσαι*] quae victum (de suis facultatibus) praebuerant.

vs. 56. *ἡ Μαγδαληνή*] Magdala, urbe in Galilaea haud procul a Capharnaumo, oriunda.

ἦλθεν] de Wett. in praetorium sese contulit; Griesbach in locum Calvariae, Golgatham.

vs. 57. *ἀπὸ Ἀριμαθαίας*] erant plures ejusdem nominis in Palaestina urbes, alia in tribu Benjamin (רָמָה), alia in tribu Naphthali, alia in tribu Ascher, alia denique in tribu Ephraim sita, patria Samuelis, רָמָתַיִם צוֹפִים. Quaenam hl. intelligenda sit, incertum est.

ὃς καὶ αὐτὸς ἐμαθήτευσε τῷ Ἰησοῦ] qui et ipse discipulus Jesu erat (sens. latiore).

Secundum Luc. 23, 50. Josephus Arimatheensis assessor synedrii fuit, frustra repugnante Grotio — Caeterum mores hujus hominis res ipsa satis declarat.

vs. 58. *ᾐτήσατο τὸ σῶμα τ. Ἰησ.*] In crucem acti proprie non sepeliebantur. Pilatus tamen eo facilius corpus Christi Josepho concessit, quia lex Rom. id non vetabat [apud ipsos Romanos haud semel ob instans festum corpora cognatis ad sepulturam concedebantur (cf. Philo in Flacc. p. 997. A.)] et Mosaica peremtorum ante solis occasum (Deutr. 21, 23.) sepulturam flagitabat.

Ulpianus, 48, 24. 1. de Cadav. punit. Corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt. — Eorum in quos animadvertitur corpora non aliter sepeliuntur, quam si fuerit petitum et permissum, et nonnunquam non permittitur, maxime majestatis caussa damnatorum.

vs. 59. *σινδών*] amiculum ex lino confectum, quo uti solebant aestate, noctu et quo involvebantur etiam mortuorum corpora.

καθαρᾷ] aut recens facto aut purgato amiculo.

ἐν τῷ καινῷ αὐτοῦ μνημείῳ] in novo (alii honoris caussa; alii, ut Theophyl.: ne criminarentur Judaei alium in vitam rediisse;) alii: nulla re polluto (ex opinionibus Judaeorum) sepulcro.

vs. 60. *ἐν τῇ πέτρᾳ*] i. e. quam Josephus habebat. Fritzsch. Notissimum est, Hebraeos extra urbem sepulcra in rupibus excisa habuisse.

προςκυλίσας λίθον μέγαν] ne a bestiis laederentur. cfr. Nicolaus de sepulcr. Hebr. 3, 10. 11.

vs. 61. *καθήμεναι ἀπέναντι τ. τάφου*] i. e. e regione sepulcri.

vs. 62. *παρασκευή*] *προσάββατον, προεόρτιον* i. e. dies, quo Judaei sabbato vel festo celebrando praeparabantur. hl. est: die festo.

συνήχθησαν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισ.] alii universum synedrium magnum; alii legationem tantummodo de synedris; alii publice, alii privato consilio missos sacerdotum principes intelligunt.

vs. 64. *καὶ ἔσται ἡ ἐσχάτη πλάνη χείρων τῆς πρώτης*] atque erit postrema fraus (i. e. resurrectio) pejor prima i. e. qua se pro filio Dei, Messia vendidit i. e.: ne totus populus, fama divulgata, eum ab inferis esse excitatum, eum pro Messia habeat ac seditionem moveat.

vs. 65. *ἔχετε κουστωδίαν*] alii accipite, sumite vobis custodes, ut sit dantis s. concedentis, ut Wolf.;

alii: habetis cohortem quae ad omnes tumultus arcendos vestro imperio commissa est: ea utimini pro arbitrio, ut Grotius.

ἀσφαλίσασθε ὡς οἴδατε] alii: munite, quantum s. quam firmissime possitis;

alii, ut Fritzschius: munite, ut potestis i. e. vereor autem, ut satis communire illud possitis, sp. Matthaeum rem ita

instituisse, ut Pilato faceret magnam Jesu dignitatem majestatemque jamjam subolere. —

Nobis videtur haec interpretatio vera esse: munite, uti scitis illud munire i. e. tota res arbitrio vestro commissa sit.

vs. 66. *σφραγίσαντες τὸν λίθον*] i. e. funiculo lapidi imposito utrimque obsignato. cfr. Paulsen. *Regier. d. Morgenl.* p. 298. Harmar, *Beobachtungen über d. Orient.* t. 2. p. 467.

μετὰ τῆς κουστωδίας] alii ad *πορευθέντες* referunt;

alii, ut Raphel., Kypk., Kunoel. i. q. *τῇ κουστωδίᾳ*; vel: *διὰ τῆς κουστωδίας*;

alii: coram, praesentibus militibus;

alii: simul cum custodia lapidem obsignarunt (Wetst.);

alii: (Fritzsch.), breviloquentiam inesse statuentes h. m. muniverunt sepulcrum et lapide obsignato et custodia apposita.

De viris doctis, qui h. l. pro spurio habuerunt vid. c. 28, 11—14.

Cap. XXVIII.

Christus in vitam redit.

vs. 1. *ὀψὲ δὲ σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων*] i. e vespere sabbati, illucescente in primum diem hebdomatis, vel nocte, cui illuxit dies primus hebdomadis i. e. primo diluculo, quod in hebdomadis initium vergeret = primi septimanae diei diluculo. — Suet. Caes. 81. ea nocte, cui illuxit dies caedis. cfr. Fritzsch. ad h. l. Gesen. in Rosenm. Repert. vol. 1. p. 132. Wahl s. v. *εἰς* p. 424.

vs. 2. *ἄγγελος γάρ κτλ.*] Deus ex opinione Hebraeorum per angelos in rerum natura efficax est, etiamsi terrae motum non cum Kunoelio pro angelo habueris.

vs. 5. *μὴ φοβεῖσθε, ὑμεῖς!*] alii, ut Fritzschius: ne timeatis, o vos!

alii, *μὴ φοβεῖσθε· ὑμεῖς, οἶδα γάρ* etc. pro: *οἶδα γάρ, ὅτι ὑμεῖς*, etc.

Alii censent, angelum (vel angelos quos Luc. 24, 4. et Joh. 20, 12. commemorant), quem mulieres primo diluculo in spelunca conspiciunt, fuisse candida *ὀθόνια*, v. c. Eichhornius in l. l. vol. 8. p. 638. Quae vere Matthaeus angelum illum vs. 5—7. dicentem facit, fuisse non nisi cogitationes mulieribus subortas. cfr. Friderich,

über die Engel in der Auferstehungsgeschichte, in Eichhornii l. l. vol. 6. p. 700.

vs. 7. *προάγει*] Alii, ut Kunoel., i. q. *προάξει*, 26, 32. Alii (recte) jam in eo est, ut vos antecedat.

ἰδού, εἶπον ὑμῖν] Alii, ut Boltenius, graecum Matthaei interpretem permutasse אמר et אימר opinantur.

Alii, ut Michaelis (l. l. p. 119.), conjecerunt: *εἶπεν ὑμῖν*. At Codd. repugnant.

Alii *εἶπον ὑμῖν* h. m. iterum iterumque vos moneo, ut verbis meis fidem habeatis.

vs. 8. *μετὰ φόβου καὶ χαρᾶς*] Terent. Andr. 5, 3. 34. Vix sum apud me, ita animus commotus est metu, spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.

vs. 9. *ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τ. μαθηταῖς αὐτοῦ*] Alii, ut Er. Schmid., Mill., Bengel., Gersdorf. genuina esse dubitant, quia in aliquot Codd. et verss. desunt.

Alii, ut Griesb., Matth., Fritzsch., retinent, quia ob ὁμοιοτέλευτον in *ἀπαγγεῖλαι τ. μ. ἀ.* vs. 8. et 9. facile omitti potuerint et necessaria sint ad definiendum, quo tempore aut loco Christus adfuerit.

vs. 10. *τοῖς ἀδελφοῖς μου*] alii: consanguineis meis; alii: sectatoribus meis; alii: dilectissimis discipulis.

vs. 14. *ἀκουσθῇ — ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος*] si hoc auditum fuerit coram procuratore. Etenim Romani excubias negligenter actas gravissimis poenis vindicare solebant; vid. Polyb. 6, 35.

πείσομεν αὐτόν] alii: placabimus eum; alii (recte): persuadebimus ei.

vs. 15. *διεφημίσθη ὁ λόγος ουτος*] Alii (perperam) de corruptione militum per pecuniam.

Alii (recte) de corpore Christi clam sublato. cfr. Eisenmengeri *Neu entdecktes Judenthum* t. 1. p. 189.

μέχρι τῆς σήμερον] usque ad tempus, quo auctor commentarios suos conscripsit.

Narrationem de custodia ad sepulcrum Christi posita (27, 62—66.) et pecunia corrupta (28, 11—15.) addubitarunt: Strothius in Eichhornii Repert. vol. 9. p. 141.

Paulus, Meletemata ad historiam dogmatis de resurrectione mortuorum. Jen. 1796. Ejusd. Comment ad h. l.

diluculo ad sepulcrum accedit idque, saxo devoluto, vacuum deprehendit. Petrus et Johannes, ad quos rem detulerat, sepulcrum inspiciunt. Quibus reversis Maria corpus Christi ablatum deplorans cum duobus angelis (non uno, ut de Wettius) et Jesu redivivo colloquitur. Eodem die Jesus discipulos, primum absente, deinde paulo post praesente Thoma invisit et de resurrectione sua iis persuadet. Denique Apostolis aliquot ad lacum Tiberiadis piscantibus apparet. Aliter Synoptici.

Secundum Matthaeum Maria Magdalena et mater Jesu (ἡ ἄλλη M.) angelum (unum tandummodo) saxo devoluto insidentem animadvertunt, qui, custodibus pavore abactis, nuntium Jesum in vitam rediisse seseque in Galilaea suis conspiciendum praebiturum esse, ad Apostolos perferre eas jubet. Quibus redeuntibus Jesus obviam fit eandemque angeli vocem repetit. — Postea undecim in Galilaea convenit.

Secundum Marcum Maria Magdalena et Maria Jacobi et Salome cum aromatibus accedunt et sepulcrum intrantes augusta specie juvenem conspiciunt, qui iis auctor est, ut Jesum in vitam rediisse eumque in Galilaea in conspectum suorum venturum esse nuntient. Jesus autem soli Mariae Magdalenae sese conspiciendum praebet, quam rem cum reliquis tristitia affectis communicat. Postea duobus in agrum proficiscentibus sese manifestat. Denique undecim *in convivio ὠνειδίζων ἀπιστίαν αὐτῶν καὶ σκληροκαρδίαν.*

Secundum Lucam mulieres, quae e Galilaea eum secutae erant, quum antea jam sepulcrum et corpus quomodo depositum fuerit, contemplatae essent, primo diluculo cum aromatibus ad sepulcrum accedunt, intrantes corpus Christi non inveniunt, verum duos angelos, qui iis in mentem revocant, Jesum, qui et mortem et resurrectionem suam jam antea suis praedixisset in vitam rediisse easque, ut idem discipulis nuntient, hortantur. Quo audito Petrus sepulcrum invisit. — Christus duobus discipulis Emmauntem proficiscentibus apparet. His Hierosolyma reversis remque exponentibus narratur, Jesum Petro sese manifestasse. Quo facto Jesus ipse a reliquis etiam discipulis visus et contrectatus de morte sua et resurrectione ex ll. ss. exponit.

Hinc alii (ut de Wettius, Straussius) has diversas narrationes e diversis fontibus s. traditionibus haustas esse nec ullo modo inter se componendas sibique reconciliandas opinantur. Alii contra easdem non magni esse momenti neque factum ipsum incertum suspectumque reddi nec fidem Apostolorum minui, imo potius cum summa religione verum eos secutos esse probari posse contendunt. Apostoli, inquiunt, per dissitas urbis partes, forsan vel Bethaniae, plurium amicorum hospitiis utentes per mulieres, Johannes et Petrus per Mariam Magdalenam, reliqui per alias alium (pro cujusque facultate res observandi, imaginatione animi

que commotionibus,) de resurrectione Christi nuntium accipiunt. Quas mulierum narrationes, quamvis mancas imperfectas ac confusas, quoniam per eas prima dulcisque spes animis ipsorum affulserit, etiam postquam suis oculis Jesum redivivum vidissent, aeterna tamen per literarum monumenta memoria dignas Apostolos judicasse censent. Cfr. Lessius, Velthusenius, Paulus, Kernius, et imprimis Griesbachius in l. infra l.

Gravissimum historiae de resurrectione Jesu Christi adversarium, auctorem fragmentorum Guelpherbytanorum (cf. etiam Opera Lessingii vol. 5. p. 119. ed. Berolin.) refutarunt praecipue

Lessius, *Auferstehungsgeschichte.* Gotting. 1779.

Doederlinius, *Fragmente u. Antifragmente.* Norimb. 1782.

Michaelis, *Erklärung der Begräbniss- und Auferstehungsgeschichte.* Hal. 1783.

Plessingius, *die Auferstehungsgeschichte uns. Herrn J. Chr.* Hal. 1788.

Griesbachius, Prolusio de fontibus, unde Evangelistae suas de resurrectione domini narrationes hauserint. Jen. 1793.

Praeterea cfr. Fr. Volkm. Reinhardus, diss. de Christo suam viveret resurrectionem praedicante. Viteb. 1784. in Commentt. theoll. a Velthusenio etc.

Velthusenii Historia resurrectionis Christi ex diversis commentariis contexto et insertis subinde animadversionibus illustrata atque confirmata. Pars I—III. Helmstad. 1780 sqq. in Commentt. theoll. vol. 4. p. 77.

Hennebergius, Comment. *über die Geschichte d. Begräbnisses, der Auferstehung u. Himmelfahrt Jesu.* Lips. 1826.

Additamentum
ad Prolegg. de origine Evangg.

Carl August Crednerus, *Einleitung ins N. T.* Hal. 1836 de origine trium priorum evangeliorum hanc conjecturam fecit:

1. Matthaeum quidem teste antiquitate christiana λογια κυριακα consignasse hebraice, quae vero injuria temporum perierint. Hoc autem evangelium, quo Judaeo-christianis persuaderetur, Jesum esse Messiam, non versionem esse horum Domini sermonum, sed e traditione haustum longe lateque propagata, quae jam typum quendam nacta erat, sine dubio post Hierosolymorum excidium neque ab apostolo quodam neque teste oculato, quem vocant, confectum idque graece.
2. Evangelii, qui secundum in codice sacro obtinet locum, quo chrestomathia quaedam Ethnico-christianis exhiberetur, auctorem minime esse Marcum, comitem illum Petri (1 Petr. 5, 13. memoratum, quem non confundere debeas cum illo in Actis apost. et epp. Paull.), qui non nisi memorabilia quaedam de Salvatore, verum indigesta ac sine ordine composita reliquisse videtur. (NB. cap. 16, 9—20 spuria sunt.)

3. Lucas, qui neque Matthaeum neque Lucam i. e. quae nunc exstant eorum scripta, (at fortasse quae olim ab iis scripta erant memorabilia,) verum alios homines, qui Christum audiverant ejusque facta viderant, evangelium suum ipse memoriter ac post excidium Hierosolymorum consignavit, ut et de rebus et de tempore constaret; utrumque autem ex Credneri sententia male auctori nostro successisse.

4. De trium priorum evangeliorum ad se invicem relatione.

Jesus ejusque apostoli, quamquam linguae graecae minime ignari, tamen patrio sermone i. e. syrochaldaice docuisse videntur. Horum evangelium ore propagatum tunc demum, quum Hellenistae ad sacra christiana accesserint, graece traditum esse a singulis pro viribus, teste Papia. At partim penuria verborum, qua hi interpretes laborabant; partim proclivitas eorum id quod jam versum erat in suum usum convertendi conformitatem quandam versionis effecit, quae, antequam evangelia extra Palaestinam propagabantur, praesertim apud Judaeos in typum quendam abiit (unde ille apud Synopticos nostros consensus ac dissensus.).

Quod evangelium non literis (cfr. Pauli δια λογου et δι' ἐπιστολης aliorumque apostolorum), sed ore propagatum, si res spectas, multo plura, quam nostra evangelia, continebat; si dicendi rationem, neque certo ordine neque arctioribus limitibus erat circumscriptum. Sic res sese habuisse videtur usque ad interitum Hierosolymorum, quia certa de evangeliis ante hoc tempus conscriptis testimonia non adsunt.

Post mortem demum testium oculatorum, quum nomina, tempora, loca e memoria hominum exciderent, multa addendo, mutando, male interpretando etc. omnia in pejus ruerent: tempus ipsum flagitavit, ut, ne historia evangelica in fabulam abiret, res literis mandarentur. Sic Palaestinensis quidam e λογιοις κυριακοις Matthaei et Marci relationibus s. memorabilibus, traditione illa in usum vocata, nostrum evangelium Matthaei (recte κατα Ματθ. dictum,) elaboravit. Alius quidam chrestomathiam illam Marci sine ordine confectam, adhibitis iis quae ad rem supplendam valerent, ita composuit, ut Marci, quale nunc est, evangelium nasceretur. Lucas denique tum antiquissimas illas Matthaei et Marci relationes, tum alias quae jam aderant διηγησεις historiae evangelicae, traditione non neglecta, in libro suo consignando usurpavit. (Caeterum Paulus, quod vulgo creditur, haud magnum momentum in Lucae evangelium habuisse videtur.) Omnes tres haud multo post eversionem Hierosolymorum scripserunt.

NB. Johannes (quod et externis et internis rationibus satis superque patet) suum evang. ipse confecit, exceptis c. 5, 3 sq. 7, 53 — 8, 12. et c. 21, quod a discipulo quodam Johannis additum esse videtur.



